ECLOGAE

ILLUSTRIUM

POETARUM LATINORUM

RECENTIORIS AEVI.

EDIDIT

IO. GEORGIUS KRABINGERUS,
BIBLIOTHECAE REG. MONACENSIS CUSTOS.

MONACHII, MDCCCXXXV.
IN LIBRARIA GEORGII IAQUETI.

Praefatio.

Eclogas illustrium poëtarum Latinorum, qui a restauratis literis usque ad Sec. XVIII. finem ubique fere gentium exstiterunt, poëseos amatoribus haud ingratas; iis autem, qui iuventuti educandae erudiendaeque operam impendunt, perutiles fore, rati, huius Florilegii edendi consilium cepimus.

Qua in re id in primis spectavimus, ut singuli poëtae eodem temporis, quo floruerunt, ordine alius post alium sequerentur, ita, ut hic liber originum et progressuum poëseos Latinae recentioris expressam imaginem exhiberet. In deligendis vero illorum carminibus respeximus Horatianum illud:

> Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
> Lectorem delectando pariterque monendo.

Plurima carminum exempla dedimus e Sannazario, Vida, Lotichio, Sarbievio et

Baldeo, qui inter recentiores poëtas Latinos facile principem locum obtinent; ex nonnullis autem aliis, iisque ingeniosissimis atque elegantissimis plura afferre et argumentorum, quae in carminibus suis tractarunt, ratio et voluminis nostri angustiae prohibuerunt.

De annotationibus erunt fortasse, qui copiosiores nos fuisse velint. Quibus lubentissime gratificati essemus, nisi iure verendum nobis fuisset, ne liber nimis excrescens modico aere parari non posset.

Monachii d. 8. Iulii 1835.

Io. Georgius Krabingerus.

Index Poëtarum,

quorum Eclogae hoc libro continentur.

ECLOGAE

POETARUM LATINORUM RECENTIORUM.

Angeli Politiani *)

Carmina selecta **).

I.

Ad Laurent. Medicem.

Cum referam attonito, Medices, tibi carmina plectro,
  Ingeniumque tibi serviat omne meum,
Quod tegor attrita, ridet plebecula, veste,
  Tegmina quod pedibus sunt recutita meis:
Quod digitos caligae disrupto carcere nudos
  Permittunt caelo liberiore frui,
Intima bombycum vacua est quod stamine vestis,
  Sectaque de caesa vincula fallit ove:
Ridet et ignavum sic me putat esse poëtam,
  Nec placuisse animo carmina nostra tuo.
Tu contra effusas toto sic pectore laudes
  Ingeris, ut libris sit data palma meis.
Hoc tibi si credi cupis et cohibere popellum,
  Laurenti, vestes iam mihi mitte tuas!

---

*) Tusci, nat. d. 14. Jul. 1454; defunct. d. 24. Sept. a. 1494.

**) Enotata sunt ex Delitiarum CC. Italorum poëtarum huius superiorisque aevi illustrium Part. alt. Collectore Ranutio Ghero (i. e. Iano Grutero). Ex officina Ionae Rosae. 1608. 12.

II.

Ad eundem, gratiarum actio.

Dum cupio ingentes numeris tibi solvere grates,
Laurenti, aetatis gloria prima tuae,
Excita iamdudum longo mihi murmure tandem
Adstitit arguta Calliopea lyra:
Adstitit, inque meo pretiosas corpore vestes
Ut vidit, pavidum rettulit inde pedem:
Nec potuit culti faciem Dea nosse poëtae,
Corporaque in Tyrio conspicienda sinu.
Si minus ergo tibi meritas ago carmine grates,
Frustrata est calamum Diva vocata meum.
Mox tibi sublato modulabor pectine versus,
Cultibus assuerit cum mea Musa novis.

III.

In Paullum.

Quae tu condideras damnavi carmina nuper,
Nec tua damnavi carmina, Paulle, tamen.
Auctor eras, fateor; sed cum sunt edita, Paulle,
Auctoris non sunt carmina, sed populi.

IV.

Ad Laurentium Medicem.

O ego quam cupio reducis contingere dextram
Laurenti et laeto dicere laetus ave:
Maxima sed densum capiunt vix atria vulgus,
Tota salutantum vocibus aula fremit.
Undique purpurei Medicem pia turba senatus
Stat circum; cunctis celsior ipse patet.
Quid faciam? Accedam? Nequeo; vetat invida turba.

Alloquar? At pavido torpet in ore sonus.
Adspiciam? Licet hoc; toto nam vertice supra est:
Non omne officium, turba molesta, negas.
Adspice, sublimi quem vertice fundit honorem,
Sidereo quantum spargit ab ore iubar.
Quae reducis facies, laetis quam laetus amicis
Respondet nutu, lumine, voce, manu.
Nil agimus; cupio solitam de more salutem
Dicere et officium persoluisse meum.
Ite, mei versus, Mediciqne haec dicite nostro;
Angelus hoc mittit Politianus ave.

V.
Ad eundem.

Invideo Pisis, Laurenti, nec tamen odi,
Ne mihi displiceat, quae tibi terra placet.

VI.
In eundem, cum ruri querna corona frontem redimitum videret.

Quam bene glandifera cingis tua tempora quercu,
Qui civem servas non modo, sed populum.

VII.
In eundem.

Det tibi Nestoreos, Laurenti, Iuppiter annos,
Nestoreum quoniam pectus et ora dedit.

VIII.
In Laurentium Iuliumque, Petri filios, fratres piissimos.

Nec tanta Oebalios tenuit concordia fratres,
Nec tanto Atridas foedere iunxit amor,

Implicuit quanto Medicum duo pectora nexu
  Mitis amor, concors gratia, pura fides.
Unum velle animis, unum est quoque nolle duobus;
  Corque sibi alterna dant capiuntque manu.
Esse quid hoc dicam, Iuli et tu, maxime Laurens,
  Anne duos una mente calere putem?

IX.
In Simonettam.

Cum Simonetta decens media iam morte labaret,
  Mors illi quidam iam prope, dixit, adest.
Sustulit illa graves oculos, nec territa dixit:
  „Hanc animam, nobis qui dedit, accipiat.“
Hactenus et tacuit. Repete hic aevum omne vetustas:
  Nil par huic animo, quod referatur, habes.

X.
Basso.

Carmina cum Basso deberem, carmina misi;
  Rettulit ille meis carmina carminibus;
Qualia sub densis volucris nec Daulias umbris,
  Eridani in ripis nec canit albus olor.
Sic sua cum Lycio donasset ahenea Glauco,
  Aurea Tydides rettulit arma domum.

Michaelis Tarchaniotae Marulli
Constantinopolitani *)
Epigrammata selecta **).

Lib. I. Epigr. 1.
Ad Laurentium Medicen, Petri Francisci filium.

Inter mille neces durique incommoda Martis,
  Quis putet Aonias posse iuvare deas?
Hic quoque, Laure, iuvant, perque arma ensesque sequuntur:
  Militiae comites nec pudet esse meae.
Quaeque manus ferrum, posito fert ense libellos:
  Et placet et Musis est sine dulce nihil.
Sed tamen his studiis debetur lassa senectus:
  Interea certe sudor uterque decet.
Tu modo, diverso gladios dum stringimus orbe,
  Hoc tibi sinceri pignus amoris habe!

---

*) Marullus, homo Graecus, Constantinopoli anno 1543 a Turcis capta patriam fugiens in Italiam se contulit, ubi inopia pressus inter alarios equites stipendium fecit. Latinae linguae adeo operam dedit, ut hoc idiomate carmina elegantissima faceret, quae Sannazarius, Petrus Victorius, Io. Secundus aliique summis extulerunt laudibus; alii vero, quorum in numero est Iul. Caes. Scaligerus, acriter percensuerunt. Vid. Broukhus. ad Sannazar. p. 81 seq., item P. Burmann et Petr. Bosscha ad Io. Secund. Opera omnia ed. Bossch. T. I. p. 317 sq. Mersus est Cecina Tusciae fluvio d. 14. April a. 1500.

**) Usus sum ed. Paris. 1561. 12.

Lib. I. Epigr. 8.

Ad Franciscum Scalam.

Scala, delicium tui Marulli,
Et veri columen decusque amoris,
Quis te, quis deus huc venire iussit
Solatum, ad veterem tuum sodalem,
Qui solus Calabris misellus oris,
Eiectus patria sodalibusque,
Uni qui mala patriae levabant,
Flendo tempora conterit maligna?
O diem nitidum! Quis huc, quis, inquam,
Venturum mihi, Scala, te putaret?
Venisti tamen, o amice, nec te
Tam longae labor est viae moratus.
En, cape oscula tam diu cupita,
Amplexus cape tam diu negatos:
Fruamur pariter die beato!
Qui scis, crastina quid minetur hora?

Lib. II. Epigr. ultim.

Ad patriam *).

Terrarum ocelle, patria, ocelle gentium,
Quascumque, curru eburneo
Laboriosae metiens iter rotae,
Lucis creator Sol videt,
Quam te cadaver flebile aspicio miser!

*) Dignum est, quod h. l. laudetur illud Sannazarii distichon (Eleg. I. 11, 31 sq.), quo poëta suavissimus Marullum ad patriae excidium deflendum hortatus est:
Tu quoque quid cessas doctis deflere querelis
Excidium patriae, culte Marulle, tuae?

Vix ipse adhuc credens mihi
Oculis videre Caelitum tantum nefas.
  O miserum et infelix genus,
Quo decidit fortuna gentis pristina!
  Tune illa domina gentium?
Quam tot tyranni, tot duces, tot oppida,
  Tot nationes efferae,
Ab usque Bactris ultimisque Gadibus
  Flexo precabantur genu?
Jam iam nihil non fragile sub caelo, nihil
  Non percaducum gentibus.
Sors cuncta versat aeque et impotens hera,
  Nullo beata termino:
Nec fas piumque sontibus fatis moram
  Affert et instabili rotae.
Felix tamen, quae morte sensu perdito
  Semel deos passa es graves,
Infanda casus damna nec sentis tui!
  O surda mors precantibus,
An tu quoque irae quos premunt deum fugis,
  Ne quis refugio ultra locus?
I, dura, vade, fuge, tamen lacrimae et dolor
  Quos tu recusas finient.

Lib. III. Epigr. 1.

Ad Laurentium Medicen, Petri Francisci filium.

Quod tua longinquum diffundo nomina in aevum
  Et sine te crescit pagina nulla mihi,
Non hoc tu nobis debes, bone Laure, sed aetas
  Postera et exemplis secla renata tuis.
Macte vir ingenio, quem nil nisi vivida virtus
  Tangit et ex vero gloria vera bono.

Lib. III. Epigr. 4.

De Alexandra Scala, Barthol. Scalae filia *).

Auxerat Aonias Sappho dea facta sorores,
Et poteras numero cedere, Roma, novo,
Dulcia cum Scalae miratus carmina Apollo,
Dixit: Habes numerum tu quoque, Roma, tuum.

Lib. III. Epigr. 5.

De Demetrio Chalcondylo.

Dum ver Hymettium diu
Nequicquam apis quaerit vaga,
In os sacrum Chalcondyli
Et labra suaviflua incidens,
Heus, inquit, aequales bonae,
Huc, huc adeste sedulae,
Matrem videtis Attida.

Lib. III. Epigr. 6.

Homerus.

Vane, quid affectas patriam mihi dicere terram
Metirisque hominum conditione Deos?
Non me Smyrna creat, non me Colophonia tellus,
Non Pylos, aequoreis non Chios icta minis,
Non Ithace, praenobile equis non Argos alendis,
Non quae de dominae nomine dicta Deae est,
Non Salamis, non clara suo Rhodos aurea Phoebo,
Aut Ius aut Pharii fertilis ora soli.
Mortalis sunt ista viri: me lucidus aether
Parturit, enatum terra fretumque colunt.

*) Nobilissimam hanc feminam, Graece et Latine doctam, Marullus uxorem duxit.

Io. Ioviani Pontani *).

Tumulus Fortunati **).

Non amplae mihi divitiae, non regna fuere,
  Sed modicus census, sed sine labe toga.
Nec mihi regales epulae, sed victus honestus,
  Mensaque communis resque modesta domi.
Cultus ager, sine lite domus, sine sorde supellex,
  Parca quidem coniunx, sed sine prole fuit.
Hinc Fortunato nomen fecere, quod essem
  Contentus modicis simplicibusque bonis.
Sorte sua laetus quisquis fuit, ille beati
  Fert nomen: felix, nomen inane puto.

Tumulus Perinelli musici ***).

Plectra iacent sine honore, lyrae sine honore sepultae,
  Et citharae et cantus, et sine honore tuba:
Sibilaque arboribus desunt et murmura rivis:
  Destituit tacitas ipse susurrus apes.
Sola avium veteres servat philomela querelas,
  Sola et hirundo novos suscitat ore modos.
Haec, Perinelle, obitum luctu testantur; at illa

---

*) Natus est Cerreti in ducatu Spoletano a. 1426; vita decessit a. 1503 Augusto mense.

**) Vid. Delitiarum CC. Italorum poëtarum etc. Part. alt. Collectore Ranutio Ghero, pag. 437.

***) Vid. ibid. p. 485.

Sordent et nimio muta dolore tacent.
Sume lyram in tumulo, Perinelle, et plectra moveto:
Iam lyra, iam citharae, iam tuba et ipsa canet;
Sibilaque arboribus strepitent et murmura rivis,
Iuverit atque alacres ipse susurrus apes.
Quo tumulo, Perinelle, iaces, tecum iacet omnis
Et sonus et cantus, auraque voxque silet.

Uxorem ac liberos invitat ad diem natalem celebrandum *).

Dulces filiolae, paterni ocelli,
Dulcis nate, patris tui voluptas,
Et coniux, requies senis mariti,
Mecum templa piis adite votis,
(Natalis meus est) deos rogate,
Atque hunc atque alios agamus annos
Fausto sidere, candidis lapillis,
Dum caros mihi redditis nepotes,
Qui blanda oscula balbulasque voces
Incomto simul ore blandiantur,
Inculto simul ore suavientur,
Mox convivia villula propinqua
Securis animis, dolore pulso
Nocturnas ineamus ad lucernas.
Hic patri liceat seni Falernum
Diffusum cyatho minutiore
Roratim ingeminare ter quaterque,
Dum lassos oculos sopor reclinet.

*) Exstat hoc carmen in Pontani Operum ed. Ald., quae prodiit Venet. anno 1513, Fol. 191 sq.

At vos, quis pudor eripit Lyaeum
Nativaque sitis levatur unda,
Dulci intingite melle cinnamoque:
Haec sunt pocula virginis Dianae,
Si quando ad superum dapes vocatur.
Tu myrtum foribus rosamque mensae
Appone et violis humum colora,
Resperge et Cyprio domum liquore,
Nec desit lyra eburneusque pecten,
Qui gratas genio citet choreas.
Et dulces genium decent choreae.
Hunc vos, hunc hilares rogate, mentem
Det recti cupidam simulque honesti,
Permittatque alia a deis regenda.

Titi Vespasiani Strozae
Ferrariensis *).

In laudem riparum Benaci **).

Cedriferi colles et amoeni collibus horti,
Lucida Benaci qua fluit unda lacus,

*) Nat. a. 1422; decessit circa annum 1505.

**) Vid. Strozii Poëtae, pater et fil. ex ed. Ald. 1513 fol. 131, b. sq. Recusa sunt Strozarum Carmina in Ranut. Gheri Collect. supra memorat. Part. II., ubi vid. p. 1064.

Unde ortum accipiens placido felicia cursu
  Maeoniae gentis Mincius arva secat,
Vos salvete simul Nymphae, salvete Deique,
  Si quos aut nemus hoc aut sacra lympha tenet.
Quam iuvat has ripas spectare habitumque locorum,
  Lenis ubi tenui sibilat aura sono!
Tanta ubi vis avium, cantu quae mulceat aures,
  Et quae sit lautas inter habenda dapes.
Quis non aurifero depasto gurgite pisces
  Laudarit, quos hic unicus amnis alit?
Deliciae, quae non capiant caelique solique?
  Quis putet his quicquam gratius esse locis?
Contendisse hominum labor et natura videtur,
  Plus uter hunc ditet nobilitetve situm.
Non animos tantum regio, non lumina pascit
  Aegra, sed ut medica corpora sanat ope.
Hoc simul indigenae experti externique fatentur.
  Hoc refero certa testis et ipse fide.
Neve sit ignotum, qui tot pulcherrima laudet,
  Si per eum tribui laus tamen ulla potest,
Post decimum Titus rediens huc Strozius annum,
  Haec vobis grata carmina mente dicat.

In Scaurum divitem et avarum *).

Scaurus habet villas, urbana palatia, nummos;
  Pinguiaque innumeris praedia bobus arat.
Huic tamen assidue maior succrescit habendi
  Nunquam divitias exsatiata fames.
Ditior est igitur patrio contentus agello,
  Qui vivit nullo foenore Fabricius.

*) Fol. 146 ed. Ald.; ap. Ranut. Gher. Part. cit. p. 1068.

Herculis Strozae,
Titi filii *).

De Laocoonte **).

Non temere antetulit statuis prisca omnibus aetas
Caelatum triplici Laocoonta manu.
En geminus natis patrem implicat anguis, et unus
Sibilat et saevit, fletque gemitque lapis.
Si labor hoc ausus mortali excudere ferro,
Mirum tam longo non senuisse situ.
Sin dedit hoc Pallas, quid adhuc Phrygas angit? Iulo
Praeside fasne ulli laedere, Roma, tuos?

Ad Bembum ***).

Tecum habita, ut vivas: alibi quicumque moratur,
Non vivit. Vita est vivere, Bembe, sibi.

Pro Angelo Politiano †).

Quis Lycias sortes, quis Phthiae carmina vatis,
Transmissos Delo ††) quis neget huc tripodas?
Quippe hic assidue Phoebus Musaeque parentant,
Et caros lacrimis saepe lavant cineres.

---

*) Interfectus est a rivali anno 1508.
**) Fol. 84, a. ed. Ald.; apud Ranut. Gher. Part. II. p. 1105.
***) Fol. 87, a. ed. Ald.; ap. Ranut. Gher. P. c. p. 1107.
†) Fol. 89, a. ed. Ald.; ap. Ranut. Gher. P. c. p. 1109.
††) Ald. *Deli.*

Quin, si fata velint, tegerentur numina, sub qua
Angelus obdormit Politianus *) humo.

Ad Maximilianum Caesarem **).

Te nihil est melius, regno nil maius avito;
Nomine nil maius, Maxmiliane, tuo.
Vix totidem mundum vaga Gloria pervolat alis,
Facta quot ingenio sunt meditata tuo.
Non minus illustrem gens Austria iactat alumnum,
Quam celebrat ***) magnum Gnosia terra Iovem.
Qui speciem Clarii, Getici qui pectus et arma
Maenaliique velit noscere corda dei:
Ille tuam aspiciat faciem, dextramque salemque,
Tresque uno cernet corpore Caelicolas.

Actii Sinceri Sannazarii,
Patricii Neapolitani †),
Carmina selecta ††).

I.

Eclog. II.

Galatea.

Forte Lycon vacuo fessus consederat antro
Piscator, qua se scopuli de vertice lato

---

*) Ald. *Pulicianus.*
**) Ed. Ald. Fol. 87, b.; ap. Ranut. Gher. P. c. p. 1116.
***) Ald. *celebret.*
†) Nat. a. 1458; diem supremum obiit anno 1535.
††) Vid. Actii Sinc. Sannazarii Opera ed. Ian. Broukhus. Amstelod. 1728. 8.

Ostentat pelago pulcherrima Mergilline.
Dumque alii notosque sinus, piscosaque circum
Aequora collustrant flammis, aut linea longe
Retia, captivosque trahunt ad littora pisces:
Ipse per obscuram meditatur carmina noctem.

Immitis Galatea: nihil te munera tandem,
Nil nostrae movere preces? Verba irrita ventis
Fudimus: et vanas scopulis impegimus undas.
Adspice, cuncta silent: orcas et maxima cete
Somnus habet, tacitae recubant per littora phocae.
Non Zephyri strepit aura: sopor suus humida mulcet
Aequora: sopito connivent sidera caelo.
Solus ego (hei misero) dum tristi pectore questus
Nocte itero, somnum tota de mente fugavi,
Nec tamen ulla meae tangit te cura salutis.
At non Praxinoë me quondam, non Polybotae
Filia despexit, non divitis uxor Amyntae,
Quamvis culta sinu, quamvis foret alba papillis.
Quin etiam Aenaria (si quicquam credis) ab alta
Saepe vocor. Solet ipsa meas laudare Camenas
In primis formosa Hyale, cui sanguis Iberis
Clarus avis, cui tot terrae, tot littora parent:
Quaeque vel in mediis Neptunum torreat undis.
Sed mihi quid prosunt haec omnia, si tibi tantum
(Quis credat, Galatea?), tibi si denique tantum
Displiceo? si tu nostram crudelis avenam
Sola fugis? sola et nostros contemnis amores?
Ostrea Miseni pendentibus eruta saxis
Mille tibi misi: totidem sub gurgite vasto
Pausilypus, totidem vitreis Euploea sub undis
Servat adhuc. Plures Nesis mihi servat echinos,

Quos nec vere novo foliis lentiscus amaris
Inficit, aut vacuae tenuant dispendia Lunae.
Praeterea mihi sub pelago manus apta legendis
Muricibus: didici Tyrios cognoscere succos,
Quoque modo plena durent conchilia testa.
Quid refugis? Tingenda tibi iam lana paratur,
Qua niteas superesque alias Galatea puellas:
Lana maris spumis quae mollior. Hanc mihi pastor
Ipse olim, dedit hanc pastor Melisaeus, ab alta
Cum me forte senex audisset rupe canentem:
Et dixit: Puer, ista tuae sint praemia Musae,
Quandoquidem nostra cecinisti primus in acta.
Ex illo in calathis servavi, ut mittere possem.
Sed tu (nequa mihi superet spes, nequa futuri
Conditio, Galatea) manum mihi dura negasti.
Hoc est, hoc, miserum quod perdidit. Ite, Camenae,
Ite procul: sprevit nostras Galatea querelas.
Scilicet, exiguae videor quod navita cymbae,
Quodque leves hamos, nodosaque retia tracto,
Despicis. An patrio non hoc quoque littore Glaucus
Fecerat, aequoreae Glaucus scrutator arenae?
Et nunc ille quidem tumidarum numen aquarum.
Sed nec, quae nimium vel me sic falsa fatigat,
Fabula te moveat Lydae, licet illa puellis
Iactet, nescio quas mihi se misisse corollas:
Non me Lyda tamen, non impulit, aequora testor,
Nereidasque omnes. Si fallo, naufragus illas
Experiar, salsosque bibam sub gurgite fluctus.
Heu, quid agam? Externas trans pontum quaerere terras
Iam pridem est animus, quo nunquam navita, nunquam
Piscator veniat. Fors illic nostra licebit

Fata queri. Boreae extremo damnata sub axe
Stagna petam et rigidis nunquam non cana pruinis?
An Libyae rapidas, Austrique tepentis arenas,
Et videam nigros populos solemque propinquum?
Quid loquor infelix? An non per saxa, per ignes,
Quo me cumque pedes ducent, mens aegra sequetur?
Vitantur venti: pluviae vitantur et aestus;
Non vitatur amor. Mecum tumuletur oportet.
Iam saxo meme ex illo demittere in undas
Praecipitem iubet ipse furor. Vos, o mihi, Nymphae,
Vos maris undisoni Nymphae, praestate cadenti
Non duros obitus, saevasque exstinguere flammas!

Scilicet haec olim, veniens seu littore curvo
Caietae seu Cumarum navalibus altis,
Dum loca transibit, raucus de puppe magister
Hortatus socios: Dextrum deflectite, dicet,
In latus, o socii: dextras deflectite in undas:
Vitemus scopulos infames morte Lyconis.

Talia nequicquam surdas iactabat ad auras
Infelix piscator, et irrita vota fovebat,
Cum tandem extremo veniens effulsit ab ortu
Lucifer et roseo perfudit lumine pontum.

II.

(Eleg. I. 5.)

Ad Iulium Senensem, exulem.

Cum mihi languentes dolor oppugnaret ocellos,
  Cogeret et tristi solvere verba sono:
Ingratos inter gemitus maestasque querelas
  Allata est manibus littera missa tuis.
Inspexi, agnovique tuas, mea numina, Musas,

Pieriosque haustus Castaliumque decus.
Poscis, ut iratum placent mea carmina Phoebum,
Et flectant duras ad tua vota Deas.
Non hoc ingenium, non haec facundia nostra est:
I, precor, atque alio flumine pelle sitim!
Ille mihi faciles iam pridem denegat aures,
Et vetat argutae tangere fila lyrae.
Nec mihi iam solito latices de fonte ministrat,
Nec docet optatos Calliopea choros.
Quid petis exstinctam dilapso a torre favillam?
Quid miser a nostro vulnere quaeris opem?
Iam tibi felici decurrunt carmina vena
Et rapit ad patrium te tua Musa decus.
Ipsa mihi visa est, te lamentante, Thalia
Ingemere et tristi Delius ore queri:
Qualis Strymonias olim cum fleret ad undas
Orpheus indignis vocibus Eurydicen:
Qui cantu Ismarii gelidis in rupibus Haemi
Adtonuit quercus, adtonuitque feras:
Saxaque Bistoniis deduxit montibus: et te
Currentem astrictis, Hebre, repressit aquis.
Scilicet egregios semper Fortuna poëtas
Tanget et ancipiti deprimet usque rota?
Neve sit extremos tantum submotus ad axes
Ille, Tomitana qui iacet exul humo:
Te quoque nunc rigidi premit inclementia Fati,
Longius et patria cogit abesse domo.
Sed nisi per magnos quaeratur fama labores,
Omnis in ardentes est abitura rogos.
Sic pius Aeneas, sic stirps Laërtis Ulysses
Maius post cineres emeruere decus.
Sic quoque sublatis Tirynthius undique monstris

Visit ab Oetaea regna paterna pyra.
Et te (crede mihi!) tot saeva incommoda passum
Virtus sublimi ducet in astra via.

III.

(Eleg. II. 3.)

In Calendis Ianuariis.
Ad Fuscum *).

Exoritur lux alma; caput sol detegit aureum,
Qui toties nostros exhilaravit avos.
Exoritur: redit ecce anni melioris origo.
Quisquis ades, sancta concipe voce preces!
Cingantur de more sacris fastigia templis,
Quae vaga Sebethi Nais ab amne legit.
Ipse sui Ianus praepandat limina templi:
Cui geminum liquido stillet odore caput.
Illius et castas fument pia tura per aras:
Atque focos supra stet videatque suos:
Nuntiet et tibi, Fusce, novos virtutis honores!
Iam reor haec animum vota fovere tuum.
Nec magis optaris, quas Lydius amnis arenas,
Quas volvit flavi lympha superba Tagi.
Nec magis uberibus quicquid sibi colligit arvis
Medus et assiduo sole perustus Arabs.
Iusta precor: Latiis utinam discedat ab oris
Hostis **) et indecori victus oberret equo!

---

*) Thomas Fuscus fuit Hippolyti Cardinalis Estensis a secretis. Postea vero episcopus Cymeliensis factus est.

**) Sc. Turcae, qui tunc temporis regnum Neapolitanum devastabant et a viro fortissimo, Alphonso Aragonio, ex Italorum finibus eiecti sunt.

Victus Hydruntinas cogatur linquere terras,
  Et plangat nostram sanguinolentus humum!
Haec veniet lux, Fusce, tuis laetissima votis,
  Cum pax optatas ducet in urbe moras.

IV.

(Eleg. II. 9.)

Ad ruinas Cumarum,

urbis vetustissimae.

Hic, ubi Cumaeae surgebant inclyta famae
  Moenia, Tyrrheni gloria prima maris,
Longinquis quo saepe hospes properabat ab oris,
  Visurus tripodas, Delie magne, tuos,
Et vagus antiquos intrabat navita portus,
  Quaerens Daedaleae conscia signa fugae:
(Crederé quis quondam potuit, dum fata manebant?)
  Nunc silva agrestes occulit alta feras.
Atque ubi fatidicae latuere arcana Sibyllae,
  Nunc claudit saturas vespere pastor oves.
Quaeque prius sanctos cogebat Curia patres,
  Serpentum facta est alituumque domus.
Plenaque tot passim generosis atria ceris,
  Ipsa sua tandem subruta mole iacent.
Calcanturque olim sacris onerata tropaeis
  Limina: distractos et tegit herba deos.
Tot decora artificumque manus, tot nota sepulchra,
  Totque pios cineres una ruina premit.
Et iam intra solasque domos disiectaque passim
  Culmina setigeros advena figit apros.
Nec tamen hoc Graiis cecinit Deus ipse carinis:
  Praevia nec lato missa columba mari.
Et querimur, cito si nostrae data tempora vitae

Diffugiunt? Urbes mors violenta rapit.
Atque utinam mea me fallant oracula vatem:
Vanus et a longa posteritate ferar.
Nec tu semper eris, quae septem amplecteris arces:
Nec tu, quae mediis aemula surgis aquis.
Et te, (quis putet hoc?) altrix mea, durus arator
Vertet, et, Urbs, dicet; haec quoque clara fuit.
Fata trahunt homines. Fatis urgentibus urbes,
Et quodcunque vides auferet ipsa dies.

V.

(Eleg. II. 10.)

Mala Punica.

Quid miser externas perquiris navita gentes?
Et tam longinquo gurgite quaeris opes?
Nec te ventorumque minas pelagique procellas,
Nec piget ignotae damna subire viae.
Aspice, quam tenui velemus cortice gemmas.
Iam tibi, quicquid habent littora rubra, damus.
Seu vis purpureos roseo fulgore hyacinthos:
Infensam Baccho sive amethyston amas:
Ardentes seu quae torres imitantur et ignes:
Seu mage diluto lumine chrysolithos.
Sed rude divitias extollit vulgus inanes,
Nec meminit, quantis sit caput inde malis.
Divitiae fera bella viris, lethumque tulerunt.
Nam prius aeterna pace vigebat humus.
Divitiis natoque pater, natusque parente
Caeditur, et charo fratre verenda soror.
Nec tantum saevae tractant aconita novercae:
Sed iugulat partus mater avara suos.
Adde, quod et gemmae solo fulgore probantur,

Adscitusque illis quaeritur arte decor.
At nobis natura oculos tardare tuentes,
Et dedit, arenti pellere ab ore sitim.
Nec nostrae populos armant in proelia gemmae,
Nec suadent magnos clam violare Deos.
Sed semper placidis visunt convivia mensis:
Stant ubi iucundo pocula plena mero.
Illic nos tenerae vir porrigit ipse puellae,
Porrigit et cupido fida puella viro.
Pacis opus sumus et pacati munus amoris,
Quod capit a Satyro Nais amata suo.
Nec temere, infernis cum nos libasset in hortis,
Noluit ad matrem nata redire suam.
Nos quoque, dum Libycos errat Pomona per agros,
Obstupuit pleno fracta rubere sinu:
Ac rarum mirata decus, mirata liquorem,
In sua de patrio transtulit arva solo.
Ergo Puniceae laus haec et gloria silvae,
Vincere gemmiferi lucida dona maris:
Pallentique graves depellere corpore morbos,
Aegraque Poeoniis ora levare modis.
Quod nec Erythraei praestabunt littora ponti,
Non opibus pollens Indica terra suis.
Tu vero, duplici fulgent cui tempora lauro,
Militiae et sacri dux, Aquivive *), chori:

---

*) „Andreas Matthaeus Aquivivus, Hadriae sive Adriae Dux (ea est Aprutii urbs, in colle sita, hodie Atri, nunc quoque ducatus domus Aquivivae), vir fuit inter primos suae aetatis memorandus et literarum et amorum gloria longe nobilissimus.“ Broukhus. ad Sannazar. Eleg. I. 11, 23. p. 120. Laudat Andream Matthaeum Aquivivum Sannazarius item Epigr. II. 2 his versibus:

Accipe nos, laudum contentus luce tuarum:
Muneraque invisae despice luxuriae:
Et seu carminibus, seu delassaberis armis,
Diluat exundans haec tibi gemma sitim.

VI.

(Epigr. I.; 1.)

Ad Federicum regem.

Scribendi studium mihi tu, Federice, dedisti,
Ingenium ad laudes dum trahis omne tuas.
Ecce suburbanum rus et nova praedia donas:
Fecisti vatem, nunc facis agricolam.

VII.

(Epigr. I., 2.)

Ad villam Mergillinam.

Rupis o sacrae pelagique custos,
Villa, Nympharum domus et propinquae
Doridos, regum decus una quondam
Deliciaeque,
Nunc meis tantum requies Camenis,
Urbis invisas quoties querelas,

Cernis ut exultet patriis Aquivivus in armis,
Duraque spumanti frena relaxet equo?
Quis mites illum Permessi hausisse liquores
Credat et imbelles excoluisse lyras?
Consurgunt niveae fulgenti in casside cristae:
At clypeus torvo Gorgonis ore tumet.
Macte animo, rigidum Musas qui stringere ferrum,
Qui Martem doctos cogis amare choros.
Haec ducis est virtus, non uni insistere palmae,
Sed nomen factis quaerere et ingeniis.

Et parum fidos popularis aurae
Linquimus aestus:
Tu mihi solos nemorum recessus
Das et haerentes per opaca laurus
Saxa: tu fontes Aganippidumque
Antra recludis.
Nam simul tete repeto tuasque
Sedulus mecum veneror Napaeas:
Colle, Mergillina, tuo repente
Pegasis unda
Effluit, de qua chorus ipse Phoebi
Et chori Phoebus pater atque princeps,
Nititur plures mihi iam canenti
Ducere rivos.
Ergo tu nobis Helicon et udae
Phocidos saltus hederisque opacum
Thespiae rupis nemus, et canoro
Vertice Pindus.
I, puer, blandi comitem laboris
Affer e prima citharam columna,
Affer et flores, procul omnis a me
Cura recedat!
Principis nostri decus atque laudes
Fama, per latas spatiata terras,
Evehat, qua sol oriens cadensque
Frena retorquet;
Quaque non notos populos et urbes
Damnat aeternis Helice pruinis,
Quaque ferventis cumulos arenae
Dissipat auster.
Ille crescentes veneratus annos
Vatis, antiquum referentis ortum

Stirpis et clarum genus et potentum
Nomen avorum,
Contulit larga numerosa dextra
Dona et ignavae stimulos iuventae
Addidit, silvas et amica Musis
Otia praebens.

VIII.

(Epigr. I., 3.)

Calendae Maii.

Maius adest; da serta, puer: sic sancta vetustas
Instituit, prisci sic docuere patres.
Iunge hederam violis, myrtum subtexe ligustris,
Alba verecundis lilia pinge rosis!
Fundat inexhaustos mihi decolor Indus odores:
Et fluat Assyrio sparsa liquore coma.
Grandia fumoso spument crystalla Lyaeo:
Et bibat in calices lapsa corona meos.
Post obitum non ulla mihi carchesia ponet
Aeacus. Infernis non viret uva iugis.
Heu vanum mortale genus, quid gaudia differs?
Falle diem: mediis mors venit atra iocis.

IX.

(Epigr. I., 10.)

In tumulum Laurae puellae.

Et lacrimas etiam Superi tibi, Laura, dedissent:
Fas etiam Superos si lacrimare foret.
Quod potuit tamen, auratas puer ille sagittas
Fregit, et exstinctas maesta Erycina faces.
Sed quamvis homines tangant tua fata, Deosque:
Nulli flebilior, quam mihi, vita, iaces.

Felices animae, quibus is comes ipsa per umbras,
Et datur Elysium sic habitare nemus.

X.

(Epigr. I., 12.)

Ad Federicum regem.

Edicto nuper cum tu, Rex magne, caveres,
Audaci ne quis stringeret arma manu;
Deposuisse tuum vel primus diceris ensem,
Et monstrasse palam primus inerme latus.
Quid maius populisve tuis, Federice, vel urbi
Accidere huic nostrae per tua dona potest?
Post domitos hostes, inter tot commoda pacis,
Contigit exemplis vivere posse tuis.
Publica nimirum res tunc sibi constat, et aequum
Imperium, cum Rex, quod iubet, ipse facit.

XI.

(Epigr. I., 26.)

In Quintium.

Clara tibi videor scripsisse epigrammata, Quinti.
Sunt, fateor: medio scripsimus illa die.
Tu latebras obscurus amas, quia lumine nullo
Atque intempesta scribere nocte soles.

XII.

(Epigr. I., 27.)

De Mercurio et Amore.

Dum comes aligero Cyllenius iret Amori
Aliger, incauto subripuit faculas.
Deprenso tum fure manum referebat ad arcum;
Sed non inventa risit Amor pharetra.

XIII.

(Epigr. I., 28.)

In tumulum Hannibalis.

Hannibal huc victas secum Carthaginis arces
Transtulit: haec ambos terra Libyssa tegit.

XIV.

(Epigr. I., 36.)

De mirabili urbe Venetiis.

Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in undis
Stare urbem et toto ponere iura mari:
Nunc mihi Tarpeias quantumvis, Iuppiter, arces
Obiice et illa tui moenia Martis, ait.
Si Pelago Tibrim praefers, urbem aspice utramque:
Illam homines dices, hanc posuisse deos.

XV.

(Epigr. I., 60.)

Dies genialis.

Aureli, perfunde meis unguenta capillis
Tu super, et vernas sparge, Nearche, rosas!
Sed prius aestivum ramis defendite solem
Et viridi mollem sternite fronde torum!
Non plumae, non picta iuvant me stragula, nec quae
Pavonis vario sponda colore nitet.
Larga coronata disponite pocula mensa,
Setino et gelidas adsociate nives:
Certatimque leves potanti inducite somnos!
Sic iuvat aetatis ducere fila meae.
An scimus miseri, quid lux ventura minetur?
Vivamus: mortem fallere nemo potest.

XVI.

(Epigr. II., 41.)

In theatrum Campanum.

Dicite, semidei, silvarum numina, Paues,
Et si qua adventu es, Nympha, fugata meo:
Cui licuit tantas saxorum evertere moles,
Quas iam disiectas vix nemora alta tegunt?
Hisne olim sueta est cuneis Campana iuventus
Amphitheatrales laeta videre iocos?
Nunc ubi tot plaususque hominum vocesque canorae,
Tot risus, tot iam gaudia, tot facies?
Scilicet, heu fati leges! rapit omnia tempus,
Et quae sustulerat, deprimit ipsa dies.

XVII.

(Epigr. II., 45.)

In tumulum Cottae Veronensis.

Sperabas tibi, docta, novum, Verona, Catullum:
Experta es duros bis viduata deos.
Nulla animum posthac res erigat, optima quando
Prima rapit celeri Parca inimica manu.
Quae tamen ut vidit morientis frigida Cottae
Ora, suum fassa est crimen et erubuit.

XVIII.

(Epigr. III., 9.)

Ad patriam, antequam iret in exilium.

Parthenope mihi culta vale, blandissima Siren,
Atque horti valeant Hesperidesque tuae!
Mergillina vale nostri memor et mea flentis
Serta cape, heu domini munera avara tui!
Maternae salvete umbrae, salvete paternae,

Accipite et vestris turea dona focis!
Neve nega optatos, Virgo Sebethias, amnes;
Absentique tuas det mihi somnus aquas!
Det fesso aestivas umbras sopor et levis aura
Fluminaque ipsa suo lene sonent strepitu!
Exilium nam sponte sequor: Sors ipsa favebit;
Fortibus haec solita est saepe et adesse viris.
Et mihi sunt comites Musae, sunt numina vatum,
Et mens laeta tuis gaudet ab auspiciis;
Blanditurque animi constans sententia, quamvis
Exilii meritum sit satis ipsa fides.

Io. Antonii Flaminii *)

Carmen ad sodales, quos ad dandam Genio operam invitat **).

Horrida saevit hiems: large praebenda, sodales,
Ponite in arsuro ligna cremanda foco!
Cernite, quam Boreas Arctois concitus oris,
Irruat in medium pronus ab axe diem!
Cernite, quam gravibus tellus sit operta pruinis,

---

*) Nat. a. 1456; obiit Bononiae a. 1536.

**) Exstat in Marci Antonii, Io. Antonii et Gabrielis Flaminiorum Forocorneliensium Carminibus (cura Fr. Mar. Mancurtii). Patavii, 1743. 8. p. 446 sq.

Quam rigido glacies strinxerit arva gelu!
Uritur apricis in collibus herba decusque
Exuit: in stabulis delitet omne pecus:
Nec variis volucres concentibus aethera mulcent,
Nec duram scindit curvus arator humum,
Nec, quamvis animi fidens, mare navita tentat,
Caerulea vastum nec trabe sulcat iter.
Ima petunt curvi, nec se delphines in auras
Tollunt, nec summo gurgite monstra natant.
Quin etiam rapidi cursus frenantur aquarum,
Fluminaque ingenti frigore victa rigent.
Victa riget Sperchi, Ledeaque Phasidis unda,
`Ister et auriferi lucida arena Tagi,
Quique iterum ardentes optaret cernere ripas
Xanthus et Eurotas lauriger et Simois,
Quaeque superfuerant undis tot ab igne crematis,
Ostia sunt glacie quinque coacta Padi.
Heliadum lacrimae cessarunt: humor inhaesit,
Nec Phaëthontei fluminis auget aquas.
Verrebat parvo piscator stagno phaselo;
Protinus est mediis cymba retenta vadis:
Et captus pariter bis capto pisce resedit,
Raptoremque suum praeda iocosa tenet.
Ergo agite et larga Vulcania munera silva
Congerite; et multo splendeat igne focus:
Et Genium curate simul, curate, sodales:
Tuque puer trimi pocula prome meri!
Sic tetricos motus, sic et mala frigora mecum,
Strymona et ad gelidos usque fugate Getas!

Petri Bembi *).

Politiani tumulus.

Duceret exstincto quum Mors Laurente triumphum,
Laetaque pullatis inveheretur equis,
Respicit insano ferientem pollice chordas,
Viscera singultu concutiente virum:
Mirata est tenuitque iugum. Furit ipse pioque
Laurentem cunctos flagitat ore Deos.
Miscebat precibus lacrimas lacrimisque dolorem:
Verba ministrabat liberiora dolor.
Risit et antiquae non immemor illa querelae,
Orphei Tartareae quum patuere viae.
Hic etiam infernas tentat rescindere leges,
Fertque suas, dixit, in mea iura manus.
Protinus et flentem percussit dura poëtam,
Rupit et in medio pectora docta sono.
Heu sic tu raptus, sic te mala fata tulerunt,
Arbiter Ausoniae, Politiane, lyrae.

Eiusdem. Galli epitaphium.

O fatis nimium duris exercita Roma!
Ten' decuit toties ultima damna pati?
Ille tuus sanguis, Gallus, tua magna voluptas,
Gallus, Aventini gloria prima soli,
Gallus, Musarum et Phoebi gratissimus hospes,

---

*) Nat. Venetiis a. 1470; obiit Cardinalis a. 1547.

Donavit cithara quem pater ipse sua,
Et cinxere Deae lauro et dixere poëtam
Melpomeneque suum, Calliopeque suum,
Cui lex et bene suadus honos rectique cupido,
Et probitas cordi simplicitasque fuit,
Candida cui ridebat hianti copia cornu,
Et faciles Nymphae semicaperque Deus:
Mater et incanos spicis evincta capillos
Implebat laetis messibus arva Ceres:
Cui Nar sulfureus, nigra cui Farfarus unda
Et qui, Roma, tuas Fucinus auxit aquas,
Atque Almo atque Anio Tibrisque paterque Numicus
Flumina iusserunt largius ire sua:
Deliciae, mea Roma, tuae, lususque leporque
Et spes et senii remus et aura tui,
Gallus, per quem oblita tuorum es ante malorum,
Occidit, heu sine amore et sine lege Deos!

Eiusdem. Iac. Sinceri Sannazarii epitaphium.

Da sacro cineri flores: hic ille Maroni
Sincerus Musa proximus, ut tumulo.

Eiusdem. Raphaëlis Urbinatis pictoris epitaphium.

Hic ille est Raphaël, timuit quo sospite vinci
Rerum magna parens et moriente mori *).

---

*) Addere iuvat Raym. Cunichii epigramma ad Benedict. Staium Bembi distichon laudantem:

„Morte mori timuit pictoris maxima rerum
Illa parens": id tu scribere, Bembe, potes?
Id scriptum laudare potes, tu candide Stai,

Marci Hieronymi Vidae,

Cremonensis *),

Carmina diversi generis **).

Ecloga I.

Daphnis.

Lycidas, Amyntas.

Absentem Daphnim Lycidas et pulcher Amyntas,
Pastores ambo, pueri ambo, ad Tibridis undam
Flebant, et querulo mulcebant flumina cantu.
Dicite vos, Musae, et iuvenum memorate querelas,
Dicite; nam motas ipsas ad carmina cautes,
Et requiesse suos perhibent vaga flumina cursus.
Incepit Lycidas (Lycidae nam cedit Amyntas):
Has o qui saltem voces tibi ventus ad aures,
Daphni, ferat: nostrum, Daphni, absens nosce dolorem,
Nunc seu te immemorem nostri pecorisque relicti
Oblitum patria arva iuvant et pascua tantum
Tusca tibi cordi Latii pro pinguibus agris

Quod scripsisse, scio, non tamen ipse velis:
Cuius in aureolis sapiens veraxque libellis
Haud usquam verum Musa supergreditur?
Cui nihil it fines ultra nec maximus orbis
Iactura unius corruit in capitis.

*) Nat. a. 1470; decessit episcopus Albae a. 1566.

**) Vid. Marc. Hieron. Vidae Poëmatum omnium curantibus Io. Ant. et Caiet. Vulpiis fratribus Patavii, 1731. 4. Vol. II. p. 125.

Antiqui Latii et pro flavo Tiberino
Dilecti ripas formosas accolis Arni,
Seu tibi (quando urgent sic divum tristia iussa)
Saepe animo occurrit quam pinguia liqueris arva:
Dumque acrem frustra quaerens lenire dolorem
Secretos lucos solus, secreta pererras
Littora, ad hos caeli convertis lumina tractus,
Et tacitus tecum dicis: Mea gaudia tellus
Illa habet, illa meos longe plaga servat amores.
Daphni, tuos abitus nostris in montibus ursi
Informes gemuere. Ferae lustra alta tenentes
Auditae aëreis in verticibus ululasse.
His passim audiri laeta olim carmina in oris
Carminaque et dulces pastorum semper amores:
Nunc circum silet omnis ager; nunc pascua muta.
Haec subito liquit tecum omnis rura voluptas.
Hic aderas, aderant simul et fluvialia Nymphae
Numina, Nympharumque timor per littora Fauni:
Hinc abes, hinc absunt simul et fluvialia Nymphae
Numina, Nympharumque timor per littora Fauni.
Formosi hi tecum montes formosaque prata:
Te sine deformes montes, deformia prata.
Non horti flores apibus, non sidera rorem
Sufficiunt, gelidae non linquunt arva pruinae.
Vix paucas aeger deserto in littore Amyntas
Ducit oves; paucas deserta in rupe capellas
Horrentique rubro et carice pascit acuta
Ah puer infelix! cui tu dum pascua cara
Commendas et oves fido atque armenta recedens,
Et tristis: Dilecte, vale, vix inquis, Amynta,
Nil potuit contra prae largo reddere fletu.
Illum, singultus dum non compescere longos

Aut lacrimas valet, aprico de colle invencae
Fluminis immemores, et graminis admiratae
Indigno flentis pueri doluere dolore.
Sic Lycidas. Subito sic deinde seqnntus Amyntas:
Illa luce et oves fluvios ac pabula laeta
Fugere, et saturis ipsi praesepibus ultro
Abstinnere boves clausi foenilibus, et vos
Tardius, ah miserae, rediistis monte capellae.
Ut fontes sine aquis, vario ut sine gramine prata,
Ut sine Sole dies, Lunae ut sine lumine noctes,
Haec ita maesta suo squalet sine Daphnide tellus.
Daphni, decus ruris, pastorum Daphni voluptas,
Quae modo surgebant tuguri tua culmina ad auras
Tibridis in ripa, nunc semistructa videntur
Ipsa etiam absentem dominum deserta morari.
Illac praeteriens subsistit saepe viator,
Sive viam carpit pedibus, seu puppe per undas,
Et secum admirans: Quondam haec felicia tecta,
Felices, inquit, horti, quum Daphnis adesset:
Nunc infelices horti, infelicia tecta.
Parcite, custodes pecoris! Cohibete capellas
O vos, o cohibete et oves, haedosve petulcos,
Ne vites carpant immiti dente novellas,
Quas posuit modo discedens hinc ordine Daphnis,
Et dixit: Tamen ista mei monimenta manebunt.
Crescetis, vites: vobiscum consita crescet
Ulmus, et exilii nostri numerabitis annos.
Sic ait, et dulci sese divellit ab ora
Invitus; tristisque tamen subsistit et haeret
Hic illic, colles et respiciebat amatos,
Optabatque oculos in cara linquere terra.
Pastores aderant, omnes de collibus illum

Spectabant maesti procul ac discedere flebant.
At tu vive memor saltem; pulcherrime, nostri,
Vive, tui memor, o, Lycidae, pulcherrime Daphni!
Forsitan et, si quis caelo deus aspicit alto
Pastorum curas, nostri miserebitur olim
Mitior, et caris reddet te protinus oris.
Sic pueri paribus se dum solantur avenis,
Illorum sera Tibris sub nocte querelas
Miratus flavum vitreis caput extulit antris:
Et vos ex imo gemuistis, Naides, amne.

Ecloga II.

Corydon.

Hoc mihi vos etiam, Nymphae, concedite carmen,
Seriades, vestris veniens quod nuper ab oris
Cantabat Corydon, grata dum texit in umbra
Fiscellam, amissi gregis immemor. Ilicet illum
Cantantem nostri densa cinxere corona
Pastores admirati Faunique sequuti,
Et vos vicinis, Dryades, properastis ab antris.
Nam Satyrum bifores audentem inflare cicutas,
Ipsum dum cantu vocat in certamina Phoebum,
Nunc canit et demta vivos cute detegit artus
Cernenti. Sparsae rorabant sanguine silvae.
Narcissi nunc formosi meditatur amorem.
Ah puer infelix, quis te novus error adegit?
Aut nihil est, quod amas, et fallax ludit imago,
Aut tibi tute ignis, teque ardes nescius ipsum.
Tu tamen hanc tenero male sanus pectore curam
Noctes atque dies versas. Tibi flamma medullis
Altius insedit seque ossibus implicat ignis.
Parcite, fallaces, puero, iam parcite, lymphae!

Ipsae etiam parcunt Nymphae, qnas lusit amantes;
Ipsi etiam parcnnt invenes, quos torsit amantes
Durus, communis divum puer atque hominum fax.
Illum etiam montesque feri desertaqne late
Fleverunt nemora umbrosisqne in vallibus amnes,
Dnm iacet in ripis, nec fonte recedit amato
Et moriens cura extremum tabescit inani.
Haec felix Corydon. Dehinc addit Ariona cantu
Insignem. Resonant omnes et Ariona saltns,
Et nemora et montes atque umbrosae convalles.
Vos quoque, muscosi, meministis Arionis, amnes.
Quae vos, Nereides, tenuit mora? Nam properarunt
Aequoris excitum pecus omne armentaqne Protei,
Et curvam phocae informes cinxere carinam,
Quum nautae insidiis sibi fata instantia cernens,
Extremum caneret tristis solatia leti,
Qualis Maeandri queritnr moriturus ad undam
Canus olor, qnalis ranci per stagna Caystri.
Vos tamen o tandem traxerunt carmina Nymphae
Nereides, tutam quum per vada salsa secaret
Snpposito delphine viam, in patriamqne rediret,
Dulce etiam nunc fila movens testudinis aureae.
Quid caneret, nisi caeruleos per caerula divos?
Oceanum in primis, cuius sanctissima ubique
Iura tremunt undae tumidique sub aequore fluctus,
A quo principinm deducunt omnia passim
Flumina sub terram occulto labentia tractn,
Mox eodem longo redeunt exercita cursu.
Addit ut et caelum, caelique nitentia tecta
Contemnat liquidasqne domos praeponat Olympo
Detentus blandis amplexibns Amphitrites.
Interea vitrea auricomus depascitur igni

Arva die, vitreo Sol nocte exspectat in antro
Hospitis Oceani mensis exceptus amicis.
Interea roseis satura ad praesepia glaucae
Sufficiunt et flumen equis et pabula Nymphae
Divina ambrosiamque et Paeoniam panaceam.
Cetera dehinc etiam canit alti numina ponti
Cum Nereo Glaucoque tridentiferum Neptunum.
Addit Nereidas centum, centum addit amores
Nereidum. Toto responsant aequora ponto.
Huc ades, o Galatea; ades huc, Pisaea Arethusa,
Nerine Galatea, argentea Neptunine!
Restabat, nautam infandum quae poena sequuta,
Dicere, quos laqueos tulerit, quos perfidus ignes;
Pergebatque canens Corydon, dum cuncta referret.
Sed non Sicanium non ille oblitus Amyntam,
Omnes quem puerum pastores protinus, omnes
Depereunt Nymphae. Nympharum semper amores
Ille habet, ille ipsas urit saevo igne Napaeas.
Huc ades, o formose puer! Tibi carmina amantes
Grata canunt Musae. Tibi magno captus amore
Ipse suos numeros addit, sua munera Apollo,
Eque sua viridem texit tibi fronde coronam.
Haec Corydon Tiberi nuper mirante canebat.
Cetera pastores meminere ad flumina Mellae.

Ecloga III.

Nice.

(Scripta fuit ad Victoriam Columnam *).

Coniugis amissi funus pulcherrima Nice
Flebat et in solis errabat montibus aegra,

---

*) **Ferdinandi Davali**, Piscariae Principis, uxorem, „excelsi animi ac sapientiae matronam (inquit **Brouk**-

Atque homines fugiens, maesto solatia amori
Nulla dabat, luctu sed cuncta implebat amaro,
Flens noctem, flens lucem. Ipsi iam funera montes
Lugebant Davali *). Davalum omnia respondebant.
Interea Nymphae Damon correptus amore,
Vicina ut paucas servabat rupe capellas,
Omnibus, ah demens, silvis errabat et agris,
Atque haec nequicquam vacuas iactabat ad auras:
O, quis te nostris oculis, pulcherrima virgo,
Obiecit deus et visam te protinus idem
Eripuit nobis, saevo ut consumerer igni?
Sive dea es nemorum (certe dea), sive tibi alta
Undarum dominae parent maris aequora et amnes,
Illa meo numquam facies de pectore abibit.

---

husius ad Sannazar. Epigr. II. 68) et cum vetustis Herolnis comparandam, cuius vernacula carmina cum summa admiratione hodie quoque leguntur."

*) Quem alii vocant Havalum seu Avalum. Huius viri bellicosissimi laudes celebraverunt Sannazarius Epigr. II. 68.

Admoveant iterum caelo si castra Gigantes
  Hoc duce, quo Ligurum gloria fracta iacet:
Cum Marte Enceladus, cum Phoebo signa Typhoeus
  Conferet, ipse Havalus cum Iove bella geret;

et Fr. Mar. Molsa (Vol. I. p. 253) hoc epigrammate:

Eridani in ripis Avalus tibi, Iupiter, alta
  In quercu hostiles dum sacrat exuvias,
Quaque ferox vicit, regum ter magne Feretri,
  Suspendit valida dona revulsa manu;
Tu pater ipse tuas spoliis nunc suspice silvas,
  Nil tibi non victrix iam dabit ista manus.

Eius vitam atque res gestas scripsit Paulus Iovius.

Illam vos etiam mecum discetis amare,
Intonsi montes, vos, umbriferae convalles.
Sive greges inter captabo frigus et auram,
Flumina seu propter salices in valle putabo,
Aut agitans instabo aliud quodcumque, tibi ante
Carmina pauca canam et te pectore suspirabo,
Toto unam te corde. Prius dediscet amore
Gramina ovis, nemora alta ferae, vaga flumina pisces,
Quam tua de nostris vellatur cura medullis.
Si nec erunt Fauni, si nec mihi Oreades ullae,
Montibus et solis dicam mea carmina silvis.
Ardebunt silvae, montes, ardebitis, alti.
Quo fugis ah? Davalus non haec post funera curat.
Siste gradum, atque oculis rursum, dea, reddere nostris.
O tibi si tantum hae silvae, si mollia prata
Haec placeant libeatque his mecum in vallibus esse,
O has felices silvas, felicia prata,
Formosas nimium silvas formosaque prata,
Formosas valles! Sed tu formosior illis.
Coniugis hic mecum, dum carpent grata capellae
Gramina, facta canes ingentia, ut hostibus unus
Obstiterit saepe et prostratas ceperit urbes,
Utque duces victos tot magnis ceperit ausis
Una eademque die, tecum omnia quae modo montes
Cantabant ipsi. Davalum omnia respondebant.
Alma suum hic tecum non dedignetur Adonim
Flere Venus, tecumque suas sociare querelas.
Ipse autem interea iuxta proiectus in herba
Insignem calathum tibi iunco et vimine texam,
Et totum miris pergam variare figuris.
Primus erit labor hic, primum hic tamen argumentum

Coniugis exstincti funus, miserabile funus,
Dum queritur se non bello, non fortibus armis
Oppetere, at lento paullatim cedere morbo.
Pallor erit gelido iuvenis morientis in ore,
Et sensim placida claudentur lumina morte.
Addua aquas iuxta fundet maestissimus urna,
Et circumfusae tundent sua pectora Nymphae,
Spargentes stratis violam maestumque hyacinthum.
Exanimum circumstabunt regesque ducesque
Maerentes largoque undabunt omnia fletu.
Parte alia heroum multis comitantibus addam
Longum iter ingressam te, si quod numen eunti
Coniugis annueret cari producere fata.
Quos non interea divos in vota vocabis?
Quas non muneribus cumulabis grandibus aras?
Omnes sed frustra divos in vota vocabis:
Muneribus frustra cumulabis grandibus aras.
Ibis multa metu suspensa. E montibus altis
Occurrent Dryades et Oreades admiratae:
Nympharumque tibi passim chorus omnis eunti
Floribus e variis viridique e fronde coronas
Intexent saevi solatia vana doloris.
Quum vero exstinctum Davalum saevissimus aures
Nuntius implebit, votis nihil omnibus actum,
Pallentem heu subito faciam ingentique dolore
Exanimem labi. Stabunt circum ilicet omnes
Collapsam famulae gelidamque a flumine lympham
Rorabunt. Gelida vix tu revocabere lympha.
Quos ah dein gemitus, quae tum lamenta referrem,
Si possent gemitus iunco aut lamenta referri!
Crudeles divos, crudelia fata vocares,
Crudelem terram, quod non sponte hisceret, et non

Te subito orantem miserata hauriret hiatu.
Haud aliter tantum finiri posse dolorem.
Etrusci montes, testes vos omnia scitis.
Omnia vos maestae lamenta audistis et ipsi,
Dum miseret, celsis de verticibus ululastis.
Nam mihi cuncta senex puero praedixerat olim,
Dum moriens teneros commendat Tityrus agnos.
Sic Damon; simul ibat. Eum videre vagantem
Atque haec nequicquam sera sub nocte canentem
Carmina nimbosis stabulantes montibus ursi
Montibus et silvis ac litoribus desertis.
Illa autem praerupta legens atque invia saxa
Nunc hac, nunc illac fugere indeprensa, nec usquam
Apparere, freti hiberna surdior unda.
Illam vos, amnes, vos, o, genus amnibus unde,
Sistite correptamque domum deducite, Nymphae.
Sola dies poterit tantum lenire dolorem.

Eiusdem carminum liber.

I.

Io. Matthaeo Giberto *).

Me, me rura iuvant mea,
  Optatoque diu perfruor otio,

*) Conf. infra Fracastor. Carm. VI.

Per te quod peperi mihi,
  Giberte, o animi sola quies mei,
Pro quo mille adeam neces.
  Nunc aestus vacuum glandifera iuvat
Evitare sub ilice,
  Nunc audire Noti murmura garruli
Densas per nemorum comas
  Haud longe scatebris fontis ab Algidi.
Nec me desidiae tamen,
  Aut tu me argueris turpis inertiae.
Canto nam modo carmina,
  Ad praescripta modo me sapientium
Emendans, animum colo.
  Princeps te interea detinet urbium,
Roma, principibus viris
  Gratum, inter proceres nobilem honoribus.
Suspiras tamen et doles,
  Fortunam cupiens persimilem meae.
Mecum ut saepe negotia
  Urbana ac varias sollicitudines
Detestaris et angeris,
  Felicemque vocas me ter et amplius!
Ut verum fatear tibi,
  Permutare negem. Tu tamen haec cape
Haec solatia amiculi,
  Sortem aequa ut levius mente feras tuam.
Sunt mortalibus omnia
  Divisa studia et munera disparis
Vitae, ut quisque humeris valet,
  Divis cuique suum distribuentibus
Aequo iudicio omnibus.
  Non fossorve oviumve arbiter horridus

Clavum temperet urbium.
Non, quem templa iuvant, curiave aut forum,
Sulcet divite mercium
Mutator pelagus Carpathium rate.
His tu temporibus datus,
Esses ut patriae praesidium ac bonis.
Has natura tibi dedit
Artes. Hoc dederunt dii studium tibi.
Ten' dices miserum, rogo?
Nec contentus eris sortè tua dolens?
Urbs te magna Quiritium
Mirata est puerum, publica munera
Tractantem graviter, diu.
Vix nunc quarta tibi condita Olympias,
Regum consiliis tamen
Iam dudum gravibus conscius interes.
Omnes Italiae angulos
Fecisti meritis iam memores tui.
Omnis iam tibi Gallia,
Germanusque ferox funera nil pavens
Debet. Debet atrox Geta,
Debent Sauromataeque et Morini ultimi,
Debent instabiles Scythae,
Et tellus ubicumque est habitabilis.
Sed nil est quoque, si sapis,
Quod nostra haec inhies usque adeo otia.
Ipsi quaerimus in dies
Doctrina studioque hanc sapientiam,
Quam nec forsitan assequi
Umquam fata dabunt aut labor irritus.
Huius tu nihil indiges.
Fers tecum puer hanc matris ab ubere

Raro munere caelitum;
  Externaque tibi nulla opus est ope.

II.

Leoni X. Pont. Max.

Ecquis o laetam, Leo, gratus urbem
Erigit rumor fera te parare
Barbarae iam iam Latio imminenti
Funera genti?
Macte, qui tantos animos superbus
Concipis. Magnis nova te triumphis
Gloria invitat, nova laurus, o ter
Maxime regum.
O diem illam, qua rediens in urbem
Arduis figes spolia ampla templis,
Quem duces omnes sacra Vaticani ad
Limina ducent.
Ante deiecti capita alta reges
Efferi incedent. Minor ibit ille,
Qui modo devicto Oriente Romae
Dira minatur.
O ubi hic captas numerabis urbes,
Et ducum vita exuvias carentum,
O tuum quae tunc merito lacessent
Gaudia pectus!
Ergo age arrectam Ausoniam et paratos
Publica Europae voca ad arma reges;
Iamque spumosum videam latere
Classibus aequor.
Hoc avent omnes Itali exterique.
Gestiunt cunctis animi. Paratur

Martis ad praeclara opera et labores
Pulchra iuventus.
Ipse ego, quamvis alia nitere
Mens erat lauro, ardeo nunc amore
Martis armorumque. Tui relinquunt,
Phoebe, calores.
Nunc vocant artes aliae. Iuvet me
Iam gravem ferri strepitum tubasque
Horridas audire. Iuvet ruentes
Cernere turmas.
Iam mihi densum videor per agmen
Casside inclusus caput insuetum
Funera horrendum fera fulminanti
Spargere dextra.
Non ego pro te laribusque et aris
Horream extremos penetrare ad Afros,
Non ego Xanthum galea cava po-
tare, nec Indum.
Pulveris multum patiensque solis
Ibo quo Bellona vocabit et Mars,
Hostium irrumpens cuneos, ahena
Luce coruscus.
Et mihi pectus, mihi sanguis et vis
Vivida, est praesens animus. Trementi
Barbari tellure cadent mea sub
Cuspide reges.
Ante me haud alter vacuus timoris
Audeat muros superare capti
Oppidi, nemo prior obstinatas
Rumpere in arces.
Forsan et vestros aliquis triumphos
Dum canet vates Asiam Africamque

Cedere et victum iuga vestra ferre
Protiuus orbem,
Me quoque heroas memorabit inter
Maximos. Nosceut animae in periclis
Prodigum expertemque metus futura
Secula Vidam.

III.

Io. Matthaeo Giberto.

Hoc est olorum, dulcius ut canant,
Giberte, semper, quos seuium premit:
Illisque solis est senectus
Usque adeo potior iuventa.
Non id sacratis vatibus accidit,
Placere cantu Musa quibus dedit.
His obstat usque obliviosa
Cousiliis melior senectus.
Ubi ligatus sanguis hebet gelu,
Laugueutque vires, mentem aliae ilico
Curae fatigant suntque semper
Postera deteriora primis.
Natura rebus, cuique suum dedit
Tempus, quod ultra non bene progredi est.
Nou semper idem floret annus
Aut foliis silüae virescunt.
Laetis nitorem tristis hiems agris
Aufert, procellis atque gelu potens.
Nec se recognoscit sepulta et
Sub nivibus stupet alma tellus.
Quid? qui rueuti non semel obstitit
Hosti, ut trementem destituit vigor,

Sedet sacramento solutus,
Et pueris sua facta narrat.
Tu me tamen vis versibus immori
Aevo reclamante, et iuveni aptius
Subire discrimen meamque
Sollicitans hiemem fatigas.
Ne coge, si qua forte nitescimus,
Luci priori inspergere nubila.
Iam fas Camenis abdicato
Sit mihi ponere plectra et artem.
Vos o, quibus vis et vigor integer,
Dum fervet intus laudis adhuc amor,
Perstate certatimque laeti
Vela date egregio labori.
Mollem senectam me deceat magis
Traducere intra Socraticam domum,
Dum cogito, quae sit beatis
Post cineres animis voluptas.

IV.

Io. Matthaeo Giberto.

Scilicet haec etiam nostrorum summa malorum
Defuerat, Giberte, mea ut tu sola voluptas
Eriperere mihi, longinquas missus in oras?
Saltem ego si tecum consors sociusque laborum
Venissem, non infelix mihi diisque viderer
Invisus penitus. Tibi si non utilis essem
Consiliis, quando ante alios te maxima Pallas
Edocuit mentemque aspirat Iuppiter altam;
Attamen haesissem lateri fidissimus unus
Usque tuo, quascumque oras tecum ire paratus.
Ipse ego prima viae tentare pericula possem,

Perque nives altas vestigia figere primus,
Quae tuto mox tu quires servare sequendo.
I tamen, et magnis de rebus comminus altos
Pro patria intrepide reges affare decusque
Tutare Italiae libertatemque tuorum,
Teque adeo egregiis clarum fer ad aethera factis!
Interea solis agitans in montibus aevum
Infelix aegrum Musis solabor amorem,
Si te absente tamen venient ad carmina Musae,
Nec mihi longe abiit tecum irrevocatus Apollo.
Nempe canam semper medycum facta ampla tuorum,
Praeclarae decora alta domus, qua sospite numquam
Italiam amissam libertatemque fatebor,
Fata licet semper coeptis ingentibus obstent
Atque ideo L e o mortales modo liquerit auras,
Ereptus mediis (sic dii voluere) triumphis.
Invidit libertatem fors laeva ruenti
Italiae, invidit partum decus. Omnis in illo
Spes paene exstincta et moriens secum omnia vertit.
Tu tamen interea tanto, Giberte, dolori,
Tam iusto parce o gemitu, et mortalia tecum
Versa animo, cantusque viae te crede periclis,
Nec tibi tam vilis vitae sit facta cupido.
Forsitan et si qua est benefactis gratia et usquam
Praemia sunt laudi sua, reges advena amicos
Invenies, tua magna quibus notissima virtus.
Ne tamen o dulcem Ausoniam regionibus ullis
Posthabeas, caram neve obliviscere Romam!
Rumpe moras omnes et caris reddere amicis!
Ipse tuum exspectans reditum, his in montibus aras
Muneribus cumulo magnis Nymphasque precatus
Omnibus intacto voveo de flore coronas.

O illum mihi si concedant cernere amica
Astra diem, quum tu extremis mihi redditus oris
Narrabis moresque hominum, diversa locorumque
Ingenia atque exhausta viae quaecumque pericla!
Si vero ante tuos reditus me corpore fata
Exsolvent isto, fert ut praesaga mihi meus,
Dum desiderio magnoque absentis amore
Tabescens, longum nequeo perferre dolorem,
Tecum erit haec anima et passim te amica sequetur
Perque nives altas, perque aspera frigora Rheni.
Sic saltem tua me tunc cernere facta iuvabit.
Tu demum rediens nostrum si forte sepulcrum
Aspicies, praeter penitus non immemor ibis.
Non lacrimas (neque enim tanti mea funera) posco.
Mi sat erit, tacito tecum si pectore dices:
Et nostri non est expers hic pulvis amoris.
Tum mihi terra levis, placida tum in morte quiescam.

V.

Gelelmi Vidae et Leonae Oscasalae parentum Manibus.

Hic tamen umbrosum nactus nemus, hic loca sola,
Ne mea quis carpsit nimium lamenta severus
Et nimium teneros fletus irriserit asper,
Mecum indulgebo luctu sub Tusculo alto,
Et lacrimis oculos explebo et pectora planctu.
Luce querar noctemque meis ploratibus addam.
Quod solum reputans praesaga mente verebar,
Unde meis posset fortuna illudere rebus,
Accidit. Acta ratis prope iam mea tuta tenebat
Tot pelagi e scopulis victrix portuque subibat.

Non ego Palladias nequicquam industrius artes
Tentaram. Abstrusas iam rerum accedere caussas,
Iam poteram varios coeli deprendere motus,
Et liquidos radio mundi describere tractus.
Iamque canebam animis superans audaxque iuventa,
Quae nulli cecinere. Leo iam carmina nostra
Ipse libens relegebat. Ego illi carus et auctus
Muneribusque opibusque et honoribus insignitus.
Omnia erant mihi laeta. Animo nihil amplius ultra
Optabam. Cunctis sat erat factum undique votis,
Et digito caeli contingere summa videbar.
Ecce repente autem stridens insibilat Eurus,
Aequora turbantur, portuque avellor ab ipso.
Ecce repente ruens mihi acerbus vulnerat aures
Nuntius, atque ambos docet amisisse parentes,
Ante quidem genitorem, aegram subito inde parentem.
Fulmine quo duplici afflatus iaceo. Omnis abit mens,
Omnis et exanimi fugit de corpore sensus.
Heu genitor mihi ademte, repens, heu mater ademta!
Non ego vos posthac, non amplius ora videbo
Cara. Semel saltem ah! licuisset utrumque tueri
Ante obitus, vestraque oculos saturare figura,
Congressuque frui farique novissima verba!
Ah dolor! ah pietas! non flens morientia pressi
Lumina: funereum non sum comitatus honorem.
Non potui vestro vobis in tempore adesse
Gratus luce magis, vita iucundior ipsa.
Non potui vobis spectabilis affulsisse,
Quum mihi mutato cursu fortuna veniret
Laetior, et numquam optatos afferret honores,
Quos adii vestri tantum memor, haud mihi parcens,
Cui placitam Musis potius traducere vitam

Fixum erat, atque humilem rerum altas discere caussas.
Vobis conspicuos unis ingressus honores
Subdere colla iugo potui male sueta, manusque
Victus sponte dedi, haud onus aversatus iniquum;
Quae mihi cuncta olim (tibi enim commercia divum)
Praedixti toties, venturi praescia mater.
Vos unos agitabam animo, vestraque fruebar
Laetitia exsultans et gaudia vestra fovebam,
Mecum animo versans, quam vobis illa futura
Laeta dies, qua me vestris amplexibus urgens
Irruerem improvisus ad oscula, vix bene utrique
Agnitus, insolitis titulis et honoribus auctus
Scilicet, et longo tandem post tempore visus,
Dum tenuit me Roma, humili vos sede Cremona.
Una erat haec merces tantorum digna laborum.
Mens erat in gremiis studio iacere omnia vestris
Parta meo, et tantum vestros exponere in usus,
Ut fuerat par. Vos claras me scilicet artes,
Re licet angusta, potius voluistis adire,
Quam genere indignis studiis incumbere nostro.
Atque ideo doctas docilem misistis ad urbes,
Quamvis in nostris lusisset lubrica rebus
Iampridem fortuna, et opes vertisset avitas,
Et res fluxa alias potius revocaret ad artes.
Quicquid opum hinc, quicquid nobis accessit honorum,
Vestrum est iure. Fuisset sat mihi cernere coram
Laetos atque meis gaudere laboribus ambos;
Ut volucrem perhibent inimicam sontibus hydris
Esse piam memoremque parentibus indulgere,
Invalidisque suo venatu tendere vitam.
In tota nihil esse domo me dulce fuisset,

Et uutus servare et iussa capessere vestra
Subiectum ac positis famulari fascibus ultro.
Nil umquam nisi quae vestris placitura fuissent
Auribus, effari potuissem. Saepe ego ficto
Tristia celassem mentitus gaudia vultu,
Ne vos afficeret, si quid me carperet intus.
Quicquid amarum, in me latuisset, quicquid acerbum.
Ad vos arte pia transissent dulcia tantum.
Taedia me vestrae cepisseut nulla seuectae:
Nec quae multa solent vitia atque incommoda in illa
Esse aetate, meos poterant avertere sensus.
Quum spueret vestrum alteruter gravis exque crearet
Plurimus et rauca conspergeret omnia tussi,
Nulla horrescentis vultu asper signa dedissem,
Cuncta ferens; vos aetatis namque ante tulistis
Plura immunda meae, quum cultus nescius infans
Foedarem toties in cunis humida strata.
Si qua autem vobis cassa atque incondita verba
Exciderent, quando rerum illa est immemor aetas,
Riderem mecum. Omnia pro puerilibus essent
Lusibus illa mihi, ceu vos risistis et ipsi
Ad teneros lusus nati imperfectaque verba,
Quum primas vix inciperem rudis edere voces.
Et quando mihi relligio sobolem abnuit, ambo
Cara fuissetis mihi pignora, dulcis uterque
Ceu puer, in nostra qui parvus luderet aula.
Cuncta, utcumque forent, mihi dulcia vestra fuissent.
Infelix, caris quicumque parentibus audet
Dura loqui aut aliud, furiis immanius actus,

Moliri. Extremas in mundi protinus oras
Ferte nefas! Nostro nusquam memoretur in orbe.
Quod mare, quae tellus portentum tale feretis?
Ferte procul nulla umquam relligione piandum!
Scilicet iis, per quos iucunda luce fruaris,
Lucem adimas ingratus et almi luminis usum
Eripias, per quos almum tibi lumen obortum est?
Ah mihi ne tantum sit credere. Barbara corda
Vix capiunt Graiis per ludum inventa poetis;
In gnatos quum tantus amor, quum tanta parentum
Sit pietas, quibus ut proferrent fata, subirent
Ipsi mille neces, nec quicquam est dulce peremtis
Pignoribus. Maerent orbi vitamque morantur
Invisam, nil debentes caelestibus auris.
Iccirco, ut duram natis avertere possint
Pauperiem miseramque famem, tot adire labores
Cernimus et certis ultro se offerre periclis.
Non me adeo fugit, quantis, pater optime, curis
Anxius aut quanto indulgebas sponte labori,
Ut mihi res tenues per tot discrimina rerum
Eriperes tantis bellorum fluctibus, ut nil
Detractum, licet irent tempora dura, periret.
Tu quoque, sancta parens, variis exercita curis
Pro gnato quas non aras, quae non sacra adibas
Templa? Quibus non tunc onerabas aethera votis,
Caro cuncta timens capiti, bona cuncta precata?
Ut mihi ad ingenuas nitenti desuper artes
Auxilium foret et favor omnipotentis Olympi,
Et fors usque comes crescenti innexa veniret
Virtuti, quae nos ad opes efferret avitas.
Praecipue mihi ne maculae ob contagia turpes,
Ant animi pestes commerciave ulla nocerent:

Sed mihi mens puro foret usque in corpore pura,
Ductaque ad extremum inculpata adolesceret aetas,
Omnibus ornatum dum vis excellere rebus.
Quae vobis meritis pro tantis mutua contra
Persolvam infelix? Quae vobis digna rependam?
Quum mihi sint et opes, animus quoque et ampla voluntas,
Idque unum affectarem. Ast o mortalia numquam
Gaudia plena satis! numquam secura voluptas!
Aut aliquid cumulo semper deest; aut revocat se
Fors infida repente oculosque avertit amicos.
Fallaces hominum spes! Heu nostra irrita vota!
Nil firmum satis aut stabili munimine tutum.
Omnia in humanis rebus dubia: omnia nutant.
Vos mihi, laeta forent quum cetera, fata tulerunt,
Queis sine dulce mihi nihil est, nec amabile quicquam.
Accipite has saltem lacrimas, haec carmina maesta,
Quae longum nati absentis testentur amorem!
Salvete aeternum, cari, atque valete, parentes!
Vida Gelelme, vale! Vale, Oscasala Leona!
Sit, precor, o vobis requies aeterna sepultis,
Sit lux, quae vestris aeternum affulgeat umbris!

VI.

Clementi VII. Pont. Max.

Clemens iniquis temporibus date,
  Tu semper alto pectore maxima
    Versas et urgeris regendo
      Sollicitis super orbe curis.

Clades receptae nunc etiam tibi
Frustra recursant, nec requiescere
Sinunt molestae, dum peritus
Mente caves vigili in futurum.
Quiesce tandem et cuncta videntibus
Haec linque divis! Vive, nec omnibus
Angare defraudans querentem
Usque adeo genum diebus!
Res ipse summus Caelicolum arbiter
Nostras profundo numine temperat,
Caussisque caussas usque nectit
Perpetua in seriem catena,
Quam nulla possit vis hominum aut deum
Loco movere. Hinc dura necessitas
Illa, illa non aequos labores,
Aut homini bona fert inemta.
An tu illa nostris quae modo vidimus
Bacchata terris bella, tot urbium
Graves ruinas, tot virorum
Funera perpetuasque clades,
Praesente quamvis consilio potens,
Solo Latino avertere quiveris?
Deique decretum refringas
Duro adamante tot ante seclis
Incisum? Avorum haec parturiit scelus.
Delicta patrum his nos agitant malis
Nostro et merentes crimine: illi haec
Semina post obitus relinquunt.
Tu morte peius, militiae sciens,
Bellum horruisti semper et aleam
Periculosam, pace certus
Cuncta pati potius manente.

Te bella circum te tamen undique
Venere (inevitabile erat malum)
Longeque deductae haud volentem his
Motibus implicuere caussae.
Peiora multo nunc quoque plurima
Nobis minantur sidera, ni Deus
Ille ipse placatus reflectat
Consilia in melius severa.
Orandus ille est; ipse potens enim
Unus morari quae properant mala,
Solusque, quam praefixit olim,
Ipse potest abolere legem.
Nostris rogatus forsitan annuet
Votis. Ab alto plurimus aethere
In nostra' dilapsus benigno
Pectora numine se refundet.
Sed ante mens est cuique latentibus
Purganda morbis. Sunt quoque luridi
Mores retractandi, nec ultra
Progrediendum iter institutum.
Tu sacra vero, tu, pater, ut decet,
Tractabis, aris praeficiens bonos,
Proculque sacris inquinatum
Vulgus honoribus amovebis.

VII.

Paci.

Pax alma, dulce ubique nomen gentibus,
Inter deos pulcherrima
Pulcherrimos, quam me tui exspectatio
Torquet morantis ah nimis!
Tuumne, Diva, vivus adventum amplius,

Tempus videbone aureum?
Umquamne erit, mundum his tenebris obsitum
Tuo ut serenes lúmine?
Quando expetentem me, Dea, spe id irrita
Tanto beabis munere?
Vereor, laboriosa ne longe prius
Vincat senectus languidum,
Quam rursus urbes divites conviviis
Ludisque distinerier,
Quam rura videam cantibus laetissimis
Omni sonare ab angulo,
Unisque ventorum duellis aequora
Metuenda, non Martis dolis.
Ut omne telum pereat, ut chalybum genus
Haud nominetur amplius;
Ut regum avarities et ambitio impotens
Sepulta sit sub aequore!
Absente te vix uberes alunt agri
Numquam colonum desidem:
Praesente vero nuda saxa qui colit,
Vel dormiens bonis fluit.
Tu grata Musis, tu in foro versantibus
Places et urbi praesides.
Tu merce transmarina opes parantibus
Voto invocaris publico.
Te divites, te ubique pauperum greges
Laboriosi praedicant.
Tibi viri, tibi pudicae mulieres
Praegestientes supplicant.
Tui senes, tui pueri amantissimi,
Tui omnes aetas appetens.
Tn, si quid est mortalibus boni uspiam

Id una nobis comparas.
Tu sanitatem gentibus, sacraque et opes,
Et victum, et annonam, et merum,
Securitatem, literas et otium,
Et nuptias, et liberos,
Vitamque tandem affers amica cantibus,
Adversa vero luctibus.
Tui simul Mars hauserit pedis sonum,
Facesset hinc celerrimus;
Simul quiescent furta, caedes, vulnera,
Strages, ruinae, incendia,
Tot orbitates, liberorum tot stupra,
Crebrique raptus virginum.
Nec audietur amplius clangor tubae
Viros cientis ad necem,
Iuvenemque vellentis tenello ab coniugis
Gremio metu inspersum genas.
Quae, pluraque viri si viderent principes
Quum bella initio cogitant,
Vel abstinerent vel quibusvis ponerent
Mox coepta conditionibus,
Neque eos libido, neque adeo ageret gloria,
Ut perderent caeci omnia.
Istis si ego ab malis procul tandem absiem
Tranquillitati redditus,
Videamque pendentes acervos arduis
Scutorum ubique postibus,
Araneorum fila quos obduxerint
Nigros vetusto in pulvere;
Ensesque rursus ferreasque cuspides
In vomerem conflarier;
Vitam haud recusem pauperem traducere

Fodiens agrum incurvus manu.
Saltem animus ablatis mihi his terroribus
Quiesceret liberrimus.
Possem laborem versibus solarier,
Cinctus olea canum caput.
Et nocte pauculos revolverem libros,
Vel imbre detentus die.
O diva, largitrix bonorum una omnium,
Quo te vocabo nomine?
Quibus te honestis efferam praeconiis?
Divum unde te verbum exprimam?
Opulenta, salve! Iam recurre huc, aurea,
Et nos tuo vultu bea!

VIII.

Telluri.

Has tibi, terra, fabas, Albae contermina muris,
Dat Vida. In facili tu bona conde sinu!
Has serit, esuriem populi miseratus egentis,
Pallida dum capta saevit in urbe fames.
Hoc ieiuna famem solari turba paratu,
Et teneras poterit carpere dente fabas.
Ille sua aspectans campum sublimis ab aula
Concipiet dulcem pectore laetitiam.
Hos legere, hos lectis vesci praedamque virentem
Vectam humero aspiciet ferre domum saturos.
Quam iuvet his sua vastari populatibus arva,
Et messes condi in horrea viva suas!
Tu, bona, tu interea, tellus, ne defice iactis
Seminibus: nusquam sit prior ulla seges!

IX.

Scipioni Vegio Medico.

Phoebo alius voti reus herbarumque potenti
Tura ferat nato sacrasque exsuscitet aras:
Ipse, meis, Vegi, semper celebrabere donis,
Semper honore meo: te numinis instar habebo.
Ipse suas artes ultro, sua munera Apollo
Concessit tibi, nec primos habet alter honores.
Tu revocare animas in lucem corpore functas
Faucibus ex Orci atque hominum producere fata,
Tu potes in media cymbam Styge sistere onustam,
Et vetitam nautae seniori avertere praedam.
Quicquid ero posthac, quicquid mea cura laborum,
Atque operum tentabit, erit, Vegi optime, munus
Artis opisque tuae. Tua me solertia vitae
Reddidit in medio iactatum vortice leti.
Stabam indeprenso consumtus languida morbo
Membra. Lues penitus totos exederat artus.
Circum aderant omnes aegrae, mea lumina, Musae,
Atque mihi inceptam miseri solatia leti
Tendebant frustra palmarum e fronde coronam,
Quam mihi Idumaeo sub vertice festinarant,
Dum canerem unigenae crudelia funera regis.
Hic mea inexcitus tu limina sponte subisti:
Ipsa salus tecum pariter mihi visa subisse.
Ut vidi, ut penitus fugit de corpore languor,
Atque suum rediit membris in pristina robur!
Quo tibi, quas potero, tanto pro munere grates
Semper agam. Et tibi nunc, utcumque, haec carmina pango.
Tu vero exigui munus ne despice amici,

Et servasse pium non dedignabere vatem
Tot titulos inter, procerum post nomina tanta,
Paeoniis quos tu succis a morte reduxti.
Nec me post ipsos pigeat subnectere reges
Servatos. Non me tibi gloria sospite nulla est.
Si mihi opes regumque genus laeva astra negarunt
Nascenti; at mihi casta domus, sine labe penates,
Est animus, qui vincat opes regumque coronas,
Contemtu rerum rectique insignis amore.
Forsitan ii merito tibi debita praemia solvent
Aurum ingens gemmasque et latis praedia fundis:
Ipse ego nil horum. Sed, dum mihi vita manebit,
Te, munusque tuum memor imo in pectore condens,
Servabo usque recens, nulloque abolebitur aevo.
Praeterea, si quid poterunt quoque carmina nostra,
Quicqnid agam, quicquid Musis suadentibus edam,
Semper eris mecum tentati muneris auctor.
Auspice te iuvet incepto me carmine regem
Caelicolum canere et Musas super astra vocare,
Atque inter divum sit dulce senescere landes.
Te sine nulla meis accedet gloria coeptis.

X.

Roma discedens.

Roma, vale! Tibi debeo plurima, quod mihi per te
Partum est ingenuis artibus, unde habeam,
Nec iam egeam addictus nulli. Mihi id est satis abs te.
Cetera, quae poteras mi dare, linquo aliis;
Plusque meis oculis absens te semper amabo,
Et procul, ut colimus numina sancta, colam.

XI.

In Quemdam.

Carmine quid carpis qui numquam carmine laedit,
  Cui numeri insontes et sine felle placent?
Unum id te cruciat, quod vulgi a moribus absim,
  Hincque meis tendis moribus insidias,
Meque remordentem cuperes tua cernere contra.
  Numquam hoc efficies. Candida Musa mea est.

XII.

In coenaculo villae suae Roncianae.

Hospes, si olus dapesque inemtas non piget
Coenare mecum, accumbe, personam exue!
Natura, disces, quantuli indigeat cibi,
Ne transmarinis sit opus apparatibus.

Balthas. Castilionii *)

Carmina selecta.

II.

Cleopatra **).

Marmore quisquis in hoc saevis admorsa colubris
Brachia et aeterna torpentia lumina nocte

---

*) Nat. Casatici prope Mantuam d. 6. Decemb. a. 1478. Hic est ille celeberrimus comes Castilionius, cuius laudes ita cecinit M. Ant. Flaminius Carm. Lib. II. 26:

Si truculenta ferox irrumpis in agmina, Marte
Diceris invicto, Castalione, satus:
At molli cithara si condis amabile carmen,
Castalia natus diceris esse dea.

Et L. c. Carm. 27:

Horrida terribilis cum tractas arma, Maronis,
Castalione, tui carmine digna facis.
Idem cum molli vacuus requiescis in umbra
Castaliae, aeterno digna Marone canis.

A Leone X. P. M. amplissimis honoribus auctus et post obitum uxoris suae, cui nomen erat Hippolyta Taurella, clero adscriptus a Pontifice Clemente VIII. Protonotarius et Nuncius Apostolicus ad Carolum V. Imperatorem in Hispaniam missus est. Quo facto ab Imperatore Carolo episcopus Abulae creatus est. Obiit Toleti d. 8. Febr. a. 1529. Cuius poëtae excellentissimi Carmina Latina exstant in Opere volgari e Latine del Conte Baldess. Castiglione novellamente raccolte etc. da Gio. Ant. e Gaet. Volpi. In Padova 1733. 4., item in Poësie volg. e Lat. del Conte B. Castiglione corrette etc. (da Pieranton. Serassi). In Roma 1760. 8. min.

**) „Haec Cleopatrae imago supra fontem iacet, cubito innixa,

Aspicis, invitam ne crede occumbere leto!
Victores vetuere diu me abrumpere vitam,
Regina ut veherer celebri captiva triumpho
Scilicet, et nuribus parerem serva Latinis;
Illa ego progenies tot ducta ab origine regum,
Quam Pharii coluit gens fortunata Canopi,
Deliciis fovitque suis Aegyptia tellus,
Atque Oriens omnis Divum dignatus honore est.
„Sed virtus, pulchraeque necis generosa cupido“ *)
Vicit vitae ignominiam insidiasque tyranni.
Libertas nam parta nece est, nec vincula sensi,
Umbraque Tartareas descendi libera ad undas.
Quod licuisse mihi indignatus perfidus hostis,
Saevitiae insanis stimulis exarsit et ira.
Namque triumphali invectus Capitolia curru
Insignes inter titulos gentesque subactas,
Exstinctae infelix simulacrum duxit, et amens
Spectaclo explevit crudelia lumina inani.

---

admirabili plane artificio, praefertque circumvolutam brachio aspidem et carni mordicus affixam. Constat fuisse olim sub dio in hortis Vaticanis; nunc nobiliori loco posita est, in amplissimo scilicet Vaticani palatii ambulacro.“ **Serassius.** — Ceterum lectu dignissimum est viri summi **Iul. Caes. Scaligeri** de hoc poëmate iudicium in Poetic. L. VI. p. 307 C.: „Illius vero Cleopatra,“ inquit, „non ut illa vivens reges tantum ac dictatores capere possit; sed omnes animos, quorum interest vacare Musis. Est in ea fastigium illud summum in acrimonia sententiarum, quod tantopere est quaesitum a Lucano: ceterum Maroniana suavitate adeo temperatur, ut, quantum absterreris asperitate Lucani, tantum huius lenitate alliciaris. Igitur capitur animus ante quam congrediatur.“

*) Conf. **Horat.** Carm. L. I. Od. 37. v. 21 seqq.

Neu longaeva vetustas facti famam aboleret,
Aut seris mea sors ignota nepotibus esset,
Effigiem excudi spiranti e marmore iussit,
Testari et casus fatum miserabile nostri.
Quam deinde ingenium artificis miratus Iulus *)
Egregium celebri visendam sede locavit
Signa inter veterum heroum, saxoque perennes
Supposuit lacrimas, aegrae solatia mentis;
Optatae non ut deflerem gaudia mortis,
(Nam mihi nec lacrimas letali vipera morsu
Excussit, nec mors ullum intulit ipsa timorem)
Sed caro ut cineri et dilecti coniugis umbrae
Aeternas lacrimas, aeterni pignus amoris
Maesta darem, inferiasque inopes et tristia dona.
Has etiam tamen infensi rapuere Quirites.
At tu, magne Leo **), divum genus, aurea sub quo
Saecula et antiquae redierunt laudis honores,
Si te praesidium miseris mortalibus ipse
Omnipotens Pater aetherio demisit Olympo;
Et tua si immensae virtuti est aequa potestas,
Munificaque manu dispensas dona deorum,
Annue supplicibus votis; nec vana precari
Me sine! Parva peto; lacrimas, Pater optime, redde!
Redde, oro, fletum; fletus mihi muneris instar,
Improba quando aliud nil iam Fortuna reliquit.
At Niobe ausa deos scelerata incessere lingua,
Induerit licet in durum praecordia marmor,
Flet tamen, assiduusque liquor de marmore manat.
Vita mihi dispar, vixi sine crimine, si non

*) Iulius II. P. M.

**) Leo X. P. M.

(„Induerim licet in durum praecordia marmor“)
Crimen amare vocas. Fletus solamen amantum est.
Adde quod afflictis nostrae iucunda voluptas
Sunt lacrimae, dulcesque invitant murmure somnos.
Et cum exusta siti Icarius canis arva perurit,
Huc potum veniunt volucres, circumque supraque
Frondibus insultant; tenero tum gramine laeta
Terra viret, rutilantque suis poma aurea ramis;
Hic ubi odoratum surgens densa nemus umbra
Hesperidum dites truncos non invidet hortis.

V.

Balthasaris Castilionis Elegia *),
qua fingit Hippolyten suam **)
ad se ipsum scribentem.

Hippolyte mittit mandata haec Castilioni ***);
Addideram imprudens, hei mihi, paene suo,

*) Hanc elegiam respiciunt egregia illa Iul. Caesaris Scaligeri verba Poëtic. L. VI. l. c.: „Longe excellentissimus in poësi spiritus Balthasaris Castilionei. Nihil dulcius elegia, nihil elegantius, tersius, lepidius. Profecto eam mihi unam malim, quam magnum numerum Propertianarum.“

**) Quum Romae esset Castilionius Friderici Mantuae Marchionis Orator apud Leonem X., Hippolytae uxoris, quam unice diligebat, desiderii leniendi causa hanc elegiam conscripsit circa annum MDXIX. Fuit autem Hippolyta Guidi Taurelli et Franciscae Bentivolae filia, mulier cum singularibus animi corporisque dotibus praedita, tum amore in virum suum prope incredibili. Exstant apud praestantissimum Praesulem Aloysium Valentium epistolae eius aliquot, non elegantes illae quidem, sed quae tamen animi candorem eximiamque erga maritum benevolentiam prae se ferant.“ Serass.

***) Cf. Propert. IV. Eleg. 3, quem Noster ob oculos habuit.

Te tua Roma tenet, mihi quam narrare solebas.
  Unam delicias esse hominum atque deum.
Hoc quoque nunc maior, quod magno est aucta Leone,
  Tam bene pacati qui imperium orbis habet.
Hic tibi nec desunt celeberrima turba sodales *):
  Apta oculos etiam multa tenere tuos.
Nam modo tot priscae spectas miracula gentis,
  Heroum et titulis clara tropaea suis:
Nunc Vaticani surgentia marmore templa **),
  Et quae porticibus aurea tecta nitent:
Irriguos fontes hortosque et amoena vireta,
  Plurima quae umbroso margine Tybris habet.
Utque ferunt, coetu ***) convivia laeta frequenti,
  Et celebras lentis otia mista iocis.
Aut cithara aestivum attenuas cantuque calorem.
  Hei mihi, quam dispar nunc mea vita tuae est!
Nec mihi displiceant quae sunt tibi grata; sed ipsa est
  Te sine lux oculis paene inimica meis.
Non auro aut gemma caput exornare nitenti

---

*) „Viri illustres, quibus poëta noster Romae familiariter usus est, fuere inter ceteros Pet. Bembus et Iac. Sadoletus Leonis X. ab epistolis, Hieron. Vida, M. Ant. Casanova, Philipp. Beroaldus iunior, Pier. Valerianus, Blosius Palladius, Hier. Niger, et Angel. Colotius, qui hos omnes in hortis suis suburbanis lepidissimo saepe convivio excipiebat.“ Serass.

**) „Novum D. Petri templum, sub Iulio II. aedificari coeptum, ab Leone X. summa contentione perficiebatur.“ Serass.

***) Vid. Sadolet. Epist. V. 18.

Me iuvat, aut Arabo spargere odore comas:
Non celebres ludos festis spectare diebus *),
Cum populi complet densa corona forum;
Et ferus in media exsultat gladiator arena,
Hasta concurrit vel cataphractus eques.
Sola tuos vultus referens, Raphaëlis imago
Picta manu curas allevat usque meas.
Huic ego delicias facio, arrideoque iocorque,
Alloquor et, tamquam reddere verba queat.
Assensu nutuque mihi saepe illa videtur
Dicere velle aliquid et tua verba loqui.
Agnoscit, balboque patrem puer **) ore salutat.
Hoc solor longos decipioque dies.
At quicumque istinc ad nos accesserit hospes,
Hunc ego quid dicas, quid faciasve, rogo.
Cuncta mihi de te incutiunt audita timorem;
Vano etiam absentes saepe timore pavent.
Sed mihi nescio quis narravit saepe tumultus,
Miscerique neces per fora perque vias;
Cum populi pars haec Ursum, pars illa Columnam ***)
Invocat et trepida corripit arma manu.
Ne tu, ne, quaeso, tantis te immitte periclis:
Sat tibi sit tuto posse redire domum.
Romae etiam fama est cultas habitare puellas,
Sed quae lascivo turpiter igne calent.

---

*) „Ludicros ludos innuit, qui festis diebus ab aulicis equitibusque Mantuani principis fieri solebant. Serass.

**) Camillus.

***) „Discordiarum scilicet meminit inter Ursinos et Columnenses.“ Serass.

Illis venalis forma est, corpusque pudorque:
  His tu blanditiis ne capiare, cave!
Sed nisi iam captnm blanda haec te vincla tenerent,
  Tam longas absens non paterere moras.
Nam memini, cum te vivum iurare solebas
  Non me, si cupias, posse carere diu.
Vivis, Castilion; vivasque beatius, opto;
  Nec tibi iam durum est me caruisse diu.
Cur tua mutata est igitur mens? cur prior ille,
  Ille tuo nostri corde refrixit amor?
Cur tibi nunc videor vilis? nec, ut ante solebam,
  Digna, tori sociam quam patiare tui?
Scilicet in ventos promissa abiere fidesque,
  A nostris simul ac vestri abiere oculi.
Et tibi nunc forsan subeunt fastidia nostri,
  Et grave iam Hippolytes nomen in aure tua est.
„Me tibi, teque mihi sors et Deus ipse dedere:
  Quodnam igitur nobis dissidium esse potest?“
Verum ut me fugias, patriam fugis, improbe? nec te
  Cara parens, nati nec pia cura tenet?
Quid queror? en tua scribenti mihi epistola venit,
  Grata quidem, dictis si modo certa fides;
Te nostri desiderio languere pedemque
  Quam primum ad patrios velle referre lares;
Torquerique mora, sed magni iussa Leonis
  Iamdudum reditus detinuisse tuos.
His ego perlectis, sic ad tua verba revixi,
  Surgere ut aestivis imbribus herba solet.
Quae licet ex toto non ausim vera fateri,
  Qualiacumque tamen credulitate iuvant.
Credam ego quod fieri cupio votisque favebo

Ipsa meis: vera haec quis vetet esse tamen?
Nec tibi sunt praecordia ferrea, nec tibi dura
  Ubera in Alpinis cautibus ursa dedit.
Nec culpanda tua est mora; nam praecepta deorum
  Non fas, nec tutum est spernere velle homini.
Esse tamen fertur clementia tanta Leonis,
  Ut facili humanas audiat ore preces.
Tu modo et illius numen veneratus adora,
  Pronaque sacratis oscula da pedibus!
Cumque tua attuleris snpplex vota, adiice nostra,
  Atque meo largas nomine funde preces!
Aut inbeat te iam properare ad moenia Mantus,
  Aut me Romanas tecum habitare domos.
Namque ego sum sine te, veluti spoliata magistro
  Cymba, procellosi quam rapit unda maris.
Et data cum tibi sim utroqne orba puella parente,
  Solus tu mihi vir, solus uterqne parens.
Nunc nimis ingrata est vita haec mihi; namque ego tantum
  Tecum vivere amem, tecnm obeamque libens *).
Praestabit veniam mitis deus ille roganti,
  Auspiciisque bonis et bene, dicet, eas.
Ocius huc celeres mannos conscende viator,
  Atque moras omnes rumpe viamque vora!
Te laeta excipiet, festisque ornata coronis,
  Et domini adventum sentiet ipsa domus.
Vota ego persolvam templo, inscribamque tabellae:
  HIPPOLYTE SALVI CONIUGIS OB REDITUM.

---

*) Hunc versum sumpsit ex Horat. Carm. L. III. Od. 9 v. 24.

VIII.

De morte Raphaëlis pictoris.

Quod lacerum corpus medica sanaverit *) arte
Hippolytum, Stygiis et revocarit aquis,
Ad Stygias ipse est raptus Epidaurius undas:
Sic pretium vitae mors fuit artifici.
Tu quoque, dum toto laniatam corpore Romam
Componis miro, Raphaël, ingenio:
Atque Urbis lacerum ferro, igni annisque cadaver
Ad vitam, antiquum **) iam revocasque decus,
Movisti superum invidiam, indignataque Mors est,
Te dudum exstinctis reddere posse animam,
Et, quod longa dies paullatim aboleverat, hoc te
Mortali spreta lege parare iterum.
Sic miser heu prima cadis intercepte iuventa,
Deberi et Morti nostraque nosque mones.

IX.

De Paullo canente.

Dulcia dum pulcher modulatur carmina Paullus,
Demulcet colles et, mea Roma, tuos,
Adcurrere simul Dryades Faunique bicornes,
Ora immota truces et tenuere ferae:
Tybris arundineo glaucum caput extulit alveo
Et stupefacta novo restitit unda sono.
Tum vocem numerumque inquit miratus Apollo,

---

*) Sic Editt.; sed Io. Casp. Orellius, Vir Clarissimus, in Eclogis Poëtarum Latinorum p. 289 de suo dedit *sanaverat* — *revocarat*.

**) Sic Editt.; sed Orell. l. c. ad vitam *antiquam* iam.

Orpheus Elysia valle meus rediit.
Sed faciem ut vidit pueri sacrumque decorem:
Certe, ait, hic proles est, Cytherea, tua.
Saeve puer, tentas me vincere voce lyraque:
An vicisse arcu est gloria visa levis?

X.
De Viragine.

Semianimem in muris mater Pisana puellam
Dum fovet et tenero pectore vulnus hiat,
Nata, tibi, has, dixit, taedas atque hos hymenaeos
Haec defensa tuo moenia marte dabunt?
Cui virgo: Haud alias taedas, aliosve hymenaeos
Debuit haec nobis grata rependere humus.
Hanc ego sola meo servavi sanguine terram:
Haec servata meos terra tegat cineres.
Quod si iterum ad muros accedet Gallicus hostis,
Pro patria arma iterum haec ossa cinisque ferent.

Ioannis Cottae,
Ligniacensis *),
Carmina selecta **).

I.
Epitaphium Quinterii.

Me longe effigie venustiorem
Narcissi, vel Apollinis comati
Parcarum Lachesis nimis severa
Isti Quinterium dedit sepulcro.
Cur non flosculus exeam, requiris,
Quum tantum fuerim puer decorus?
Tellus est nimis arida, o viator,
Nostri facta perustione amoris:
Sed si lacrimulis tuis madescet,
Forsan flos novus ibit e sepulcro.

---

*) Nat. a. 1482; obiit Viterbi a. 1510 vel 1511 pestilenti oppressus febri. Hunc poëtam lepidissimum, florente aetate Musis ereptum, ipsi Catullo anteposuit M. Ant. Flaminius Carm. II. 28, suavissimos eius numeros his versibus laudans:

Si fas cuique sui sensus expromere cordis,
Hoc equidem dicam pace, Catulle, tua:
Est tua Musa quidem dulcissima; Musa videtur
Ipsa tamen Cottae dulcior esse mihi.

Ceterum conf. supra Sannazar. Carm. XVII.

**) Vid. Io. Cottae Ligniacensis Carmina recognita et aucta (a Cl. Iac. Morellio). Bassani 1802. 4.

II.

Ad Naugerium et Io. Baptistam Turrianum.

Iam valete, boni mei sodales,
Naugeri optime, tuque, amice Turri,
Vere candidi et optimi sodales,
Quos numquam sat amaverim, licet vos
Quam fratres mage, quamque me ipsum amarim:
Quibus perpetuum frui per aevum,
Vota si mea Dii audiant benigni,
Sit una ampla animi mei voluptas.
Quod quanto cumulatius futurum est,
Una si liceat mihi beatis
Vestri colloquiis adesse Bembi!
Verum dura necessitas repugnat,
Invitumque alias adire terras
Cogit atque alios parare amicos.
Vos ergo memores meo esse vestri
Fixam in pectore imaginem bonamque
Vobis partem animae meae relinqui,
Iam valete, boni mei sodales!

III.

Ad Anysium.

Ambo dulcia (ne verere) et iidem
Salsa scribimus ambo, docte Anysi.
Scis quae, uti sumus uno amore iuncti,
Uno carmina scribimus libello:
Scis cervum quoque, quem sibi educarunt,
Suum ut Silvia delicata virgo,

Nostri filiolae boni Gevarae:
Ille tam cupide illa devoravit,
Ut omni sale salsiora et omni
Posses noscere dulciora melle.
O testem lepidum bonique Anysii
Raram carminis approbationem!

IV.
Epitaphium canis.

Caparion ego sum, quem vivum maxime amavit
  Liviades, tumulum post dedit et titulum.
Plura cani ingenue de se sibi non licet: at mi
  Nunc audita meo accipe de domino!
Latrantem me forte phalanx Germana per umbras
  Ut vidit, de more affore herum timuit
Et fugit trepida: at ridens ait una Dearum,
  Quae ante Iovis solium ferrea pensa trahunt:
Ne trepidate: semel satis est timuisse: neque illum
  Quem fugitis, prius huc fata venire sinent,
Quam Gallos male foedifragos demiserit Orco,
  Et quisquis vexat barbarus Italiam.
Quisquis ades, domino haec referas, precor; haec quoque pauca
  Addito: amat te etiam trans Styga Caparion.

V.
Ad Veronam.

Verona, qui te viderit
Et non amarit protinus
Amore perditissimo,
Is, credo, se ipsum non amat,

Caretque amandi sensibus
Et odit omnes gratias *).

Andreae Naugerii,

Patricii Veneti **),

Carmina selecta ***).

I.

Vota Cereri pro terrae frugibus.

Aspice, magna Ceres, tibi quos semente peracta
Ducimus agrestes, rustica turba, choros.
Tu face, ne nimio semen putrescat ab imbre,
Neu sulcos rapido frigore rumpat hiems,
Neu sterilis surgat silva infelicis avenae,

---

*) Versus hos bellissimos Hippolytus Bevilacqua ita in sermonem Italicum convertit:

Verona, chi te vede,
Nè t' ama in quell' istante
Col più perduto amore;
Ei, credo, sè non ama,
E che sia amor non sente,
E ogni bellezza ha in ira.

**) Nat. ann. 1483, def. ann. 1529.

***) Vid. Andreae Naugerii Opera omnia. Curantibus Io. Antonio et Caietano Vulpiis. Patavii 1718. 4. p. 185.

Et qnaecumque bonis frugibus herba nocet:
Neu terrae prostrata animosi flatibus Euri
Decidat, aut densa grandine laesa seges:
Neu direpta avidae rapiant frumenta volucres,
Monstrave, quae terrae plurima saepe ferunt.
Sed quae credidimus bene cultis semina campis,
Uberius largo foenore reddat ager.
Sic erit. Interea nivei carchesia lactis
Fundite et annoso mella liquata mero,
Terque satas circum felix eat hostia fruges
Caesaque mox sanctos corruat ante focos.
Nunc satis haec. Post messem alii reddentur honores
Et sacras cingent spicea serta comas.

II.

Vota ad Auras.

Aurae, quae levibus percurritis aëra pennis
Et strepitis blando per nemora alta sono,
Serta dat haec vobis, vobis haec rusticus Idmon
Spargit odorato plena canistra croco.
Vos lenite aestum et paleas seiungite inanes,
Dum medio fruges ventilat ille die!

III. (IV.)

Vota Damidis ad Bacchum pro vite.

Hanc vitem, multa quae semper fertilis uva
Haud umquam domini fallere vota solet,
Nunc etiam large florentem consecrat ipse
Vineti cultor Damis, Iacche, tibi.
Tu face, Dive, tua haec spem non frustretur, et huius
Exemplo fructum vinea tota ferat!

IV. (IX.)

Invitatio ad amoenum fontem.

Et gelidus fons est, et nulla salubrior unda,
Et molli circum gramine terra viret,
Et ramis arcent soles frondentibus alni,
Et levis in nullo gratior aura loco est,
Et medio Titan nunc ardentissimus axe est,
Exustusque gravi sidere fervet ager.
Siste, viator, iter: nimio iam torridus aestu es:
Iam nequeunt lassi longius ire pedes.
Accubitu languorem, aestum aura umbraque virenti,
Perspicuo poteris fonte levare sitim.

V. (XXIV.)

De Pythagorae simulacro.

Quem toties vixisse anima redeunte renatum
Mutato fama est corpore Pythagoram,
Cerne, iterum ut docti caelo generatus Asylae
Vivat, ut antiquum servet in ore decus.
Dignum aliquid certe volvit: sic fronte severa est;
Sic in se magno pectore totus abit.
Posset et ille altos animi depromere sensus:
Sed, veteri obstrictus religione, silet.

VI. (XXXVI.)

Ad Bembum.

Qui modo ingentes animo parabam,
Bembe, bellorum strepitusque et arma
Scribere, hoc vix exiguo male audax
Carmine serpo.
Nempe Amor magnos violentus ausus
Fregit iratus, velut hic Tonantem

Cogit et fulmen trifidum rubenti
Ponere dextra.

Sic eat: fors et sua laus sequetur
Candidae vultus Lalages canentem et
Parius claro radiantis astro
Frontis honores.

Nota Lesboae lyra blanda Sapphus:
Notus Alcaei Lycus: altiori
Scripserit quamvis animosum Homerus
Pectine Achillem.

VII. (XLIII.)
In obitum Borgetti catuli.

Borgettus lepidus catellus ille,
Cuius blanditias proterviores
Et lusus herus ipse tantum amabat,
Quantum tale aliquid potest amari.
Nec mirum; dominum suum ipse norat,
Caram bima velut puella matrem:
Et nunc illius in sinu latebat:
Nunc blande assiliebat huc et illuc
Ludens atque avido appetebat ore.
Erectis modo cruribus bipesque
Mensae adstabat herili heroque ab ipso
Latratu tenero cibum petebat.
Nunc raptus rapido maloque fato
Ad Manes abiit tenebricosos.
Miselle o canis, o miser catelle,
Nigras parvulus ut timebis umbras!
Ut saepe et dominum tuum requires!
Cui pro deliciis iocisque longum
Heu desiderium tui relinquis.

Francisci Marii Molsae,
Mutinensis *).
Carmina selecta **).

I.

Ad Sodales,

Cum morbo gravi et mortifero premeretur.

Ultima iam properant, video, meą fata, sodales,
  Meque aevi metas iam tetigisse monent.
Si foret hic certis morbus sanabilis herbis,
  Sensissem medicae iam miser artis opem.
Si lacrimis, vestrum quis me non luxit et ultro
  Languentem toties non miseratus abit?
Obstruxere aures nostris contraria votis
  Numina et haec ventos irrita ferre iubent.
Vos mihi, quos olim colui, dum fata sinebant,

---

*) Nat. ann. 1489; obiit ann. 1544. Cuius dulcissima poëmata quanti aestimaverint illorum temporum aequales, luculentissimus testis est M. Ant. Flaminius Carm. II. 19:

Postera dum numeros dulces mirabitur aetas,
  Sive, Tibulle, tuos, sive, Petrarcha, tuos:
Tu quoque, Molsa, pari semper celebrabere fama;
  Vel potius titulo duplice maior eris.

Cf. infra Hier. Fracastor. Carm. III.

**) Vid. Poësie volgari e Latine di Franc. Mar. Molza corrette, illustrate, ed accresciute colla vita dell' autore scritta da Pierantonio Serassi. Vol. I. In Bergamo 1747. 8.

  Ultima iam cineri dona parate meo!
Vobiscum labor hic fuerit, quando his procul oris,
  Ignara heu nostri funeris uxor abest:
Uxor abest, nostrique diu studiosa videndi
  Pro reditu patriis dona vovet Laribus.
Haec potuit praesens, nato comitata, feretrum
  Floribus et multa composuisse rosa:
Et nivei lactis fontes libasse merique,
  Coniugis ut manes spargere maesta queat.
At, qui me extrema compellet voce sodalem,
  Et claudat tenera lumina nostra manu,
Et fugientem animam suprema exceperit hora;
  Hoc vos communi pro pietate rogo.
Non operosa peto titulos mihi marmora ponant,
  Nostra sed accipiat fictilis ossa cadus:
Exceptet gremio quae mox placidissima tellus,
  Immites possint ne nocuisse ferae.
Rivulus haec circum dissectus obambulet, unda
  Clivoso qualis tramite ducta sonat.
Exiguis stet caesa notis super ossa sepulta,
  Nomen et his servet parva tabella meum;
Hic iacet ante annos crudeli tabe peremptus
  Molsa: ter iniecto pulvere, pastor, abi!
Forsitan in putrem longo post tempore glebam
  Vertar et haec flores induet urna novos.
Populus aut potius abruptis artubus alba
  Formosa exsurgam conspicienda coma.
Quidquid ero, vestra haec pariter descendet in imam
  Tellurem pietas Elysiumque nemus.
Quod mihi si tumulo vobis curantibus arbor
  Ingruat et virides explicet alta comas;
Quae circum nitidis, aestus dum saevit, obumbret

Frondibus et scissam tegmine opacet humum;
Iam mihi pyramides, regum monimenta, valete,
Et quidquid miri barbara Memphis habet!
Scilicet huc, diti pecoris comitata magistro,
Conveniet festo pulchra puella die,
Quae molles ductet choreas et veste recincta
Ad certos norit membra movere modos.
Quin erit illa dies, frigus cum captet opacum,
Hic aliquis flavo cum Corydone Mycon:
Et cantare pares et respondere parati,
Alternis certent vincere carminibus,
Quorum aliquis forsan crudeli funere raptum
Me gemat et lacrimis polluat ora piis:
Ac misero instauret funus sternatque sepulcrum
Floribus et nomen tollat ad astra meum:
Et dulci referat Musarum ut captus amore
Sustinui patriae linquere tecta puer:
Mollibus utque olim vitam dum degimus hortis,
Regales potui deseruisse domos:
Utque sub umbrosae quercus platanique virentis
Maluerim densa delituisse coma,
Quam Tyria pictum chlamyde auroque intertextum
Captatis vulgi plausibus urbe vehi.
Tum faciles memoret mores et puriter acta
Percurrat vitae tempora quaeque meae.
Non ego, Lutheri volvens monimenta, nefandis
Germanum populos ritibus implicui.
Non mea mortiferos porxit tibi dextera succos,
Hippolyte, Ausonii flenda ruina soli:
Auspicio externas cuius tandem Itala tellus
Abiectas Medica cuspide sensit opes.
Te rigidi stupuere Getae Rhenusque bicornis,

Et tremuit famulis frigidus Ister aquis,
Miles ab Eoo veniens cum littore Nili
Ingemuit latebras tam procul esse tibi.
Ultorem nobis talem te te affore, pensa
Ferrea quae ducunt, praemonuere Deae.
Sed tantum terris quis te ostensura putasset
Numina tamque brevi tot peritura bona?
Itala res tecum periit, tecum Itala virtus,
O nimis immiti stamina rupta manu!
Cuncta ego quae Latii dulces vulgare per oras
Dum propero et laudes dicere, Magne, tuas,
Ante diem Elysios cogor cognoscere campos,
Implet odoratum qua pia turba nemus.
Illic ne incerta ludar regione viarum,
Occurras vati nobilis umbra tuo,
Et myrto cinctum caput aut Daphneide fronde
In tibi vicino me velis esse loco.
Interea dulces coetus valeatis, amici,
Iam vocat in nigros mors tenebrosa lacus,
Increpitatque moras Lethaeae portitor undae
Et remi auditus per loca senta fragor.
Dii tamen in melius vertant haec omina, si quem
Humanis precibus non pudet esse locum.

II.

In discessu Turcarum ex Italia.

Excessere truces Italo de littore Turcae,
Versaque praecipiti terga dedere fugae:
Qui modo traiecto numerosa classe profundo
Vastabant fines, Appula terra, tuos.
Quo terrore omnis trepidavit ab Alpibus usque
Ad superum infernumque Ausonis ora mare.

Tuque, elate iugis pater Apennine nivosis,
  Nutasti, et trepido territus amne Padus.
Sed vani cecidere metus: audacia cessit
  Hostibus, et saevas deposuere minas.
Nam simul Austriades invicto milite Caesar
  Explicuit, vires opposuitque suas,
Selectasque acies Italorum et robur Iberum,
  Et trepidis numen rebus opemque tulit,
Excessere truces Italo de littore Turcae,
  Versaque praecipiti terga dedere fugae.
Qui modo Romanamque urbem delere parabant
  Barbaraque in Latio ponere castra solo,
Non exspectata petierunt aequora pugna,
  Versaque praecipiti terga dedere fugae.
Utque olim vasti calcator Persa profundi
  Amissa trepidum classe relegit iter;
Haud secus ex Italo cedentes littore Turcae,
  Perculsi foedo vilia corda metu;
Vela Noto, remos undis, coepta irrita ventis,
  Versaque praecipiti terga dedere fugae.

III.
De arce Capitolina de caelo tacta
ad Paullum III. Pont. Max.

Nuper Tarpeias repetitis ictibus arces
  Impulit ardenti quod pater ipse manu;
Quodque idem media nimborum in nocte refulsit,
  Stellarum cinctus conspicuusque choro;
Et tibi quod flagrans pinus mole excidit alta,
  Haec quoque nocturnis ignibus usta Iovis;
Paulle, tibi optatam portendunt numina pacem,
  Adventum magnae testificata Deae.

Sume animos! Pacata secas, pater, aequora: malo
Nil opus est: tuta nat tibi puppis aqua.

IV.
De Virgilio.

Hos Musis in serta Maro fragrantia flores
Dedicat et dulcis pocula bina meri.
Quas olim faciles primis expertus ab annis,
Hybla, tuum vatem vicit et, Ascra, tuum.
Nunc magni redit exuvias indutus Homeri;
Vos triplici heroi cingite fronde comam!
Este, Deae, memores, vestris ut maximus olim
Consiliis Graias fregerit unus opes!

V.
De cruce Domini.

Hoc quondam eversum ligno Pater optimus orbem
Sustulit, humanum restituitque genus,
Ut conspersa Dei sacro crux alma cruore
Vel magnis possit regibus esse decus.
Sidera fulsit apex, radice in Tartara fertur,
Hoc latus Eoos, hoc fovet Hesperios.
Quisquis es, hanc tecum mortales tolle per undas;
Inscia naufragii ligna trabemque vides.

VI.
De Clemente VII. Pont. Max.

Sidera dum repetit Clemens terrisque relictis
In sibi iam parta collocat arce pedem,
Subducunt caelum nubes et nocte coorta
Proluvies foedis imbribus arva premit.
Caeruleus tumido Tiberis caput abdidit alveo

Et formidatis flumina laxat aquis.
Scilicet et fluvios dolor attigit, ipsaque funus
Certatim ducunt maesta elementa novum.

VII.

Ad Phoebum.

Hunc tibi, Phoebe pater, lunata fronte iuvencum,
Tibris qua undoso largius amne fluit,
Alcimedon iactata alte post terga securi
Mactat, et in sacros porricit exta focos.
Tu, si saevitum est satis et si caedis abunde *),
Poenarum exsolvit si tibi Roma satis,
Illuviem hanc expelle inimicaque tela retunde,
Et melius Turcas mitte perire feros,
Qui cinxisse Rhodon perstant nunc fortibus armis
Dilectam et cives perdere classe tuos.

VIII.

De rostris navalibus in apum alvearia versis.

Ferrea rostra olim pressis erepta carinis,
Quae Nili fractas testificantur opes,
Ecce, apibus parcis pandas praepandimus aulas:
Congesto redolent (quis putet?) aera thymo.
Caesaris haec ingens laus est, quo vindice pacis
Iucundos fructus arma inimica ferunt.

---

*) Ranut. Gherus in Delitt. saepius iam cit. Part. II. p. 66 ita legit:

Tu si saevitum satis est et caedis abunde.

IX.

Epitaphium Lascaris.

Lascaris hic situs est Ianus, quo sospite Graium
Res olim fractae non potuere capi.
Hic etenim in Latium dilectas Palladi Athenas
Detulit, et gemino mox dedit ore loqui.
Saepe etiam regumque animos populosque feroces
Cecropio flexit tum sale, tum numeris,
Annosi donec *) confectum viribus aevi
Exitio obrepens curva senecta dedit.
Felicem ante omnes, solio qui pulsus avito
Tam procul hic patria contegeretur humo!

Hieronymi Fracastorii,

Veronensis **),

Carmina selecta ***).

I.

(Carm. Liber. IX.)

In mortem Aliprandi Madrutii,

Fratris Christophori Cardinalis Tridentini.

Impositum quum te feretro, miserande Madruti,
Cerneret illacrimans Caesar circumque videret

*) Ed. Serass. habet *demum*, puncto post *numeris* posito.

**) Nat. a. 1483; dec. anno 1553.

***) Vid. Hieron. Fracastorii Carminum Editio II. Curante Io. Ant. Vulpio. Patavii 1739. 4. Tom. I.

Et spolia et victis erepta ex hostibns arma,
Et modo victrices inxta maerere phalanges,
Quantum, inqnit, tua mors nostris inimica triumphis
Laetitiae decorisque adimit! spes quanta futuri
Tecum, Aliprande, cadit! Sed non tna vivida virtus,
Ut te hunc aspicerem, tua non promiserat aetas;
Sed fore, qui Solymis mecum atqne Oriente subacto
Barbaricis regum spoliis et mille tropaeis
Olim magna tui decorares templa Tridenti.
Invidit mors tanta tibi. Vos nobile corpus
Ferte ducis vestri, iuvenes, et reddite matri
Exanimi: sed et haec miserae solatia ferte,
Tantum ipsam peperisse virum, qui Caesaris usque
Et comes et bene gestarum pars maxima rerum
Caesaris ex animo nullo delebitur aevo.

II.

(Carm. Liber. XXI.)

In Natalem Diem

Iani Fregosii, Caesaris F.

Sacrorum si plena deo sunt pectora vatum,
  Si norunt triplices fata futura deae:
Fortunate infans, verus tibi gloria vates,
  Grandia concordes concinuere deae.
Ecce tuo felix nasci novus annus ab ortn
  Incipit atque omen nomine habere tuo.
Cresce cito magniqne patris mirarier acta
  Incipe et invicti Caesaris arma sequi!
Tempus erit, tibi quum partis iam mille trophaeis
  Et fessi rebus compositis Latii,
Barbaricis captis opibus ducibnsqne subactis
  Multa tibi circum tempora laurus eat.

Tum laeta ante tuum stabit Victoria templum,
  Claudet et aerata limina ahena sera.

III.

(Carm. Liber. XXIII.)

Tumulus Francisci Mariae Molsae, Mutinensis.

Quod Molsae fuerat mortale, hac conditur urna,
  Exstruxere suis quam Aonides manibus.
Coetibus at Superum fruitur nitidissimus almis,
  Itque comes magno spiritus Hippolyto *),
Quem Medica de gente satum pulcherrima Virtus
  Extulit et caeli templa tenere dedit,
Quemque unum ante omnes coluit, dum fata sinebant,
  Atque oculis vates praetulit ipse suis.

IV.

(Carm. Liber. XXIV.)

Ad Ioannem Lipomanum,

ex Veronensi praetura decedentem.

Hadriacum, Lipomane, Athesis dum curret in aequor,
Dum meritis reddetur honos et gratia, semper
Praetori tibi debebit Verona patrique
Linquenti monumenta annos mansura per omnes.
Illa tibi semper divinos solvet honores,
Et condet tua perpetuis annalibus acta.
I, spes o Venetum, et quem iam moderamina parva
Non capiunt, i, te maioribus insere sceptris:
Et lacrimas et vota, quibus comitamur euntem,
Accipe, discessusque tui dona ultima porta!

---

*) Sc. Hippolyto Medic., Cardinali.

V.

(Carm. Liber. XXV.)

In mortem Io. Bapt. Montani, Medici Veronensis.

Dum medica, Montane, doces ope vincere fata
Et Lachesi invita vivere posse diu,
Lethaeo indignans pressit te Parca sopore
Et secuit vitae grandia fila tuae.
Sic, animas et tu, Asclepi, dum subtrahis Orco,
Te quoque saevorum perdidit ira deum.

VI.

(Carm. Liber. XXVII.)

Ad Ioannem Matthaeum Gibertum,
Episcopum Veronensem.

Naiades hoc, Giberte, tibi Benacides antrnm,
Et qui muscoso fons cadit e lapide,
Sacravere. Tibi sit cura et fontis et antri:
Et quandoque, deus, ad tna sacra veni!
Et sacer est et habet spirantes suaviter auras
Hortus: et est nullo gratior umbra loco:
Et nusquam est longaeva mage et felicior arbos,
Pulcher Adoni, tua; pulcher Apollo, tua.
Hic canere et tenuem posse exercere Camenam
Ille dedit: sanctus qui mihi semper erit.
Hic herbas succosque tuos artemque relinquo,
Phoebe: soles Musas tu quoque amare magis.

M. Ant. Flaminii,

Io. Antonii Filii *),

Carmina selecta **).

I.

(Lib. I. Carm. 8.)

Paulli Tertii Pontificatus Maximus.

Iam nox sidera Thetios
  Undis caeruleis condere coeperat,
Cum laetae volucres diem
  Venturum vario carmine nuntiant;
Argutae fidicen lyrae
  Alcon, auricomo gratus Apollini
Alcon, in viridi sedens
  Ripa Tybridis, haec dulcia fundere
Coepit carmina, Lesbium
  Aurato feriens pectine barbiton.
Iam Sol Oceano diem
  Ducet purpureis, Roma parens, equis,
Quo Farnesius, inclyti
  Heros imperii sceptra potentia
Sumens auspicio Deum
  Felici, Ausoniis attulit urbibus

*) Nat. a. 1497; obiit Romae a. 1550.

**) Enotata ex Marc. Antonii, Io. Antonii et Gabrielis Flaminiorum Forocorneliensium Carminibus (cura Fr. Mar. Mancurtii). Patavii 1743. 8.

Pacis gaudia candidae;
Et belli furias Alpibus et mari
Arcens, tristia dulcibus
Mutavit litui murmura canticis.
Ex illo nitidis viret
Arvis tuta Ceres, Bacchus et exteris
Crescit liber ab hostibus,
Nec nostros abigit miles atrox greges,
Nec passim pila ferrea
Ictu fulmineo moenia concutit,
Nec discordia civium
Cognato maculans sanguine dexteras
Miscet proelia, quo nihil
Sol, qui cuncta videt, spectat acerbius
Paullo denique Tertio
Rerum praeside vis et furor impius,
Et tristes superum minae
Excessere procul finibus Italis,
Illuxitque beata diu
Optato veniens tempore Faustitas;
Ut quondam medio in mari
Iactatis validi turbinis impetu
Nautis Tyndaridae ferunt
Fratres auxilium sidere dextero.
Ergo iam novus incipit
Rerum ordo, facies iam nova cernitur:
Antiquum revocat decus
Divum Roma domus et caput urbium
Et magnis legionibus
Turcam et Danubii flumina territat.
Fortunata per oppida
Cornu fundit opes Copia divite:

Virtuti suus est honos,
  Et legum Timor et prisca redit Fides.
Sed iam purpurenm bonae
  Ostendit Veneris stella oriens diem.
Salve, lux nitidissima,
  Natali proprio carior omnibus,
Quos pulcherrima sustinet
  Regnis Hesperiae terra feracibns!
Te nec Iuppiter horridis
  Infuscet nebulis, nec malus invida
Contristet pluvia Notus,
  Nec lux Oceano pulchrior exeat.
Foecundi aura Favonii
  Pingat caeruleis gramina liliis:
Stillent mella virentibus
  Ramis: lacte mero, Tybri pater, fluas.
Tum laeti choreas Ioci
  Ducant, nec geminis iuncta sororibus
Absit Gratia, nec Pudor
  Sanctus, nec Pietas almaqne Veritas.
At tu, nobilis imperi
  Vertex, magnanimum Roma Quiritium
Mater, surge cadentibus
  Astris et superum dona fer omnibus
Templis: incipe debitas
  Prima luce Deis reddere gratias
Cantu ac turis honoribus,
  Et Paullo Pylii tempora Nestoris
Ora, qui tibi saecula
  Satnrni veteris rettnlit aurea!

II.

(Lib. I. Carm. 10.)

Ad agellum suum.

Formosa silva, vosque, lucidi fontes,
Et candidarum templa sancta Nympharum,
Quam me beatum, quamque Dis putem acceptum,
Si vivere et mori in sinu queam vestro!
Nunc me necessitas acerba longinquas
Adire terras cogit et peregrinis
Corpusculum laboribus fatigare.
At tu Diana, montis istius custos,
Si saepe dulci fistula tuas laudes
Cantavi et aram floribus coronavi,
Da cito, Dea, ad tuos redire secessus.
Sed seu redibo, seu negaverint Parcae,
Dum meminero mei, tui memor vivam,
Formosa silva, vosque, lucidi fontes,
Et candidarum templa sancta Nympharum.

III.

(Lib. I. Carm. 12.)

Ad se ipsum de adventu hiemis.

Iam bruma veniente praeterivit
Aestas mollior, et cadunt ab altis
Frondes arboribus: tepor Favoni,
Immanes Boreae furentis iras
Formidans, abit: illum agri voluptas,
Canorae volucres sequuntur. Ergo
Et nos dulcia rura deseramus,
Dum Ver purpurea coma decorum
Reducat Zephyri tepentis auram.
Horti, deliciae meae, valete!

Fontes luciduli, valete! Salve
Mihi villula carior superbis
Regum liminibus! Recedo; sensum
Sed meum hic animumque derelinquo.

IV.

(Lib. I. Carm. 15.)

Ad agellum suum.

Umbrae frigidulae, arborum susurri,
Antra roscida, discolore picta
Tellus gramine, fontium loquaces
Lymphae, garrulae aves, amica Musis
Otia, o mihi si volare vestrum
In sinum superi annuant benigni,
Si dulci liceat frui recessu,
Et nunc ludere versibus iocosis,
Nunc somnum virides sequi per umbras,
Nunc mulgere mea manu capellam,
Lacteoque liquore membra sicca
Irrigare per aestum et aestuosis
Curis dicere plurimam salutem!
O quae tunc mihi vita, quam beata,
Quam vitae similis foret deorum!
At vos, o Heliconiae puellae,
Queis fontes et amoena rura cordi,
Si cara mihi luce cariores
Estis, iam miserescite obsecrantis,
Meque Urbis strepitu tumultuosae
Ereptum in placido locate agello!

V.

(Lib. I. Carm. 17.)

Ad eundem.

Venuste agelle, tuque, pulchra villula,
Mei parentis optimi
Olim voluptas et quies gratissima
Fuistis; at simul senex
Terras reliquit et beatas Caelitum
Petivit oras, incola
Vos alter occupavit atque ferreus
Amabili vestro sinu
Me lacrimantem eiecit et caris procul
Abire iussit finibus.
At nunc, amica rura, vos reddit mihi
Farnesii benignitas.
Iam vos revisam, iam iuvabit, arbores
Manu paterna consitas
Videre, iam libebit in cubiculo
Molles inire somnulos,
Ubi senex solebat artus languidos
Molli fovere lectulo.
Gaudete, fontes rivulique limpidi!
Heri vetusti filius
Iam iam propinquat vosque dulci fistula
Mulcebit, illa fistula,
Quam vestro Iolae donat Alcon Maximus,
Ut inclyti Farnesii
Laudes canentem Naïdum pulcher chorus
Miretur et Pan capripes.

VI.

(Lib. I. Carm. 19.)

Ad Veturiam matrem et Iulium et Faustum, fratres mortuos.

Mater candida, candidique fratres,
Qui me funere rapti acerbo in atris
Lugentem tenebris videtis, et cum
Sol terras hilarat nitente luce,
Et cum nox placidum refert soporem,
Iam mei miserescite, et deorum
Supplicate parenti, ut exuens me
Vinclis corporeis, volare vestros
Ad manes sinat; est enim relictum
Nihil dulce mihi, nihil quod aegrum
Et maerentem animum levare possit,
Praeterquam lacrimae et querelae, ab imo
Et suspiria corde tracta. Quod ni
Timeret mea mens, adire dum vos
Urget, ne, procul a piis repulsa,
Vobis perpetuo careret, ipsum
Ferrum iam mihi corpus exuisset.

VII.

(Lib. I. Carm. 22.)

Ad Apollinem.

Cynthii cultor nemoris, beatas
Voce qui Nymphas citharaque mulces,
Phoebe, supremi Iovis et deorum
Blanda voluptas,
Si tibi semper mea mens ab annis
Serviit primis, neque dulce cordi,

Est meo quidquam sine te, precanti
Annue dexter.
Ut mihi optatum dat habere agellum
Clara Farnesi pietas, gravique
Liberans cura, iubet otiosam
Ducere vitam,
Sic tuo vati liceat perenni
Nomen illius celebrare cantu,
Et viri in nostris vireat libellis
Gloria semper,
Myrtus ut luco viret in latenti,
Fonte quam nutrit liquido decora
Naïs, et saevas hiemes et aestus
Arcet iniquos.

VIII.

(Lib. I. Carm. 29.)

Ad Gratias.

Gratiae, pulchrae Veneris sodales,
Queis sine gratum nihil aut venustum est;
Non Amor, non ipsa Venus, Iocive,
Blanditiaeve;
Tris fero vobis violae coronas
Flore fulgentes, ego terna vobis
Candidi lactis totidemque libo
Cymbia mellis:
Vos meis dulcem numeris lepórem
Addite, ut semper bene docti ad aures
Grata Farnesi veniant Iolae
Carmina vestri.

IX.

(Lib. I. Carm. 30.)

De laudibus Mantuae.

Felix Mantua, civitatum ocelle,
Quam Mars Palladi certat usque et usque
Claram reddere gentibus probisque
Ornare ingeniis virorum et armis!
Te frugum facilis potensque rerum
Tellus, te celebrem facit virente
Qui ripa calamisque flexuosus
Leni flumine Mincius susurrat
Et qui te lacus intrat advenisque
Dites mercibus invehit carinas.
Quid palatia culta, quid deorum
Templa, quid memorem vias et urbis
Moles nubibus arduis propinquas?
Pax secura loco, quiesque nullis
Turbata exiliis, frequensque rerum
Semper copia et artium bonarum.
Felix Mantua centiesque felix,
Tantis Mantua dotibus beata,
Sed felix magis et magis beata,
Quod his temporibus rudique saeclo
Magnum Castaliona *) protulisti!

X.

(Lib. I. Carm. 31.)

Ad Caesarem Flaminium.

Caesar aeterno mihi iuncte amoris
Vinculo, immites aditure mecum

*) De quo vid. supra p. 66.

Non modo Hyrcanos, Erebi sed atra
Regna profundi,
Ne mihi pulchros Ligurum recessus,
Neve Campani memores venusta
Rura Sebethi aut placidas amoeni
Tiburis arces!
Ipse nil docti patriae Catulli
Compare; hic vivam et moriar beatus:
Hac mihi toto nihil est in orbe
Gratius urbe.
Tu, ferax vatum generosa tellus,
Hospitum nutrix et amica, vatem
Hospitem sese tibi dedicantem
Candida nutri!
Vos, Lares dulcis patriae, valete!
Non enim possum miseras videre
Civium pugnas gladiosque fratrum
Sanguine tinctos.
Vos tamen semper mea mens amabit,
Me licet Parcae rapiant ad orbem,
Zona quem Solis dirimit corusco
Torrida ab igni.

XI.

(Lib. I. Carm. 34.)

Ad Dianam.

Casta Latonae soboles Iovisque,
Quae, pharetratis comitata Nymphis,
Cynthium collem peragras nigrique
Silvam Erymanthi,
Bocchius, linguae decus utriusque,
Doctus errantes agitare cervos,

Hanc tibi villa media locatam
Dedicat ulmum;
Unde veloci domitae sagitta
Pendeant lynces timidique damae,
Atque vivacis tibi consecrata
Cornua cervi.

XII.

(Lib. II. Carm. 15.)

Ad Stephanum Saulium.

Ne tibi sim carus, Sauli carissime, ni te
Plus amo, quam natum mater amare solet.
Et merito; quis enim te dignior alter amari?
Aut quid amore tuo dulcius esse potest?
Quaerat opes alius, magnos sibi quaerat honores:
Tecum dulce mihi vivere, dulce mori.

XIII.

(Lib. V. Carm. 6.)

Ad eundem.

Candidissime Gratiarum alumne,
Ne carus tibi sim, nec ulla signa
Amoris mihi mutui rependas,
Ni te plus amo, quam solet tenella
Unicam genitrix amare natam.
Nec mirum; quid enim potest amore
Tuo dulcius esse? vel quis ullo
Fuit tempore dignus aeque amari?
Honores alius sequatur, auri
Acervum cumulet nitentis: ipse
Sim beatior omnibus beatis,
Annuant modo Caelites, ut una

Tecum vivere, tecum obire possim,
Iucundissime Sauli, honore et auro,
Et cara mihi carior salute.

Cynthii Io. Bapt. Gyraldi
Ferrariensis *).

D. Herculi Estensi II. **).

Balsama, thura, crocum tradant et grandia dona,
  Queis nitet Attalica conditione domus:
Do tibi populeas frondes silvasque virentes,
  Alcide, inculti munera parva soli.
Parva tamen magni non spernunt munera reges:
  Parva etiam magno munera grata Iovi.
Tu cape dona libens, dantis simul accipe mentem!
  Sic tibi erunt parva haec, balsama, thura, crocum.

Ad Petrum Bembum ***).

Tusca tuo debes Petrarchae, Musa, parenti
  Multum; Bembeae sed magis una lyrae.
Namque is te genuit, Bembus revocavit ab Orco.
  Illud mortale est; hoc reor esse Dei.

---

*) Nat. ann. 1504, def. ann. 1573.

**) Vid. Delitiae CC. Italorum poëtarum etc. collectore Ranutio Ghero. Francofurt 1608. Tom. I. p. 1240.

***) Vid. ibid. p. 1241.

Io. Nicolai Secundi *)

Carmina selecta **).

I.

(Eleg. III. 5.)

In reditum Erasmi Roterodami ad Belgas, sed falso nuntiatum.

Ad patrios fines venit grandaevus Erasmus,
Venit amor recti, venit et ipsa Fides;
Venerunt Charites; et iuncta Sororibus octo
Floribus instravit Calliopea viam.
Dicite, quae primum sacro pede contigit arva?
Perpetuo lauros illa hederasque ferant.
Dicite quo primum clausit vestigia vallo?
Semper honoratus sit locus ille mihi.
Sive viam terris carpsit, seu flumine curvo
Vexit adoratum cymba beata senem,
Et nullo intactae laedantur vomere terrae,
Et semper nitido gurgite flumen eat;
Sole nec arescat, gelidae neque sidere brumae
Aspera concretas ungula pulset aquas.
O, tanti quae terra viri cunabula servas,

*) Nat. Hagae Comitum d. 14. Nov. a. 1511; ob. Tornaci d. 24. Sept. a. 1536.

**) Vid. Io. Niol. Secundi Opera omnia, emendatius et cum notis adhuc ineditis Petri Burmanni Sec. denuo edita cura Petri Bosscha. Lugd. Batav. 1821. 8. Voll. II.

Debita Dis magnis cum prece thura refer!
Et pete, qui venit vestris ne cedat ab oris,
Ad caeli donec sidera serus eat:
Ut, cunis quae laeta sacris per saecla superbis,
Accedat titulis nobilis urna tuis,
Ad quam longinquus toties lacrimabitur hospes,
Inspargens tenera clara sepulcra rosa;
Et dicet: Felix quae talem terra tulisti!
Tu mihi vel magno non minor es Latio.

II.

(Epigr. I., 17).

In Carolum V. Imperatorem P. F. A. cum in Africa pugnaret.

Aeneae sanguis, formosi sanguis Iuli,
Carolus, in regnum venit, Elisa, tuum;
Vindicet a saevo pius ut tua busta tyranno,
Armatas ducens per freta mille rates.
Illius auspiciis prisco reddentur honori
Moenia, Romana quae cecidere manu:
Ergo age, in Aeneadas odium fatale remitte,
Spectatumque veni Caesaris ora Dei!
Crede mihi; dices, huius si ardore perissem,
Causa meae fuerat mortis honesta magis.

III.

(Epigr. I., 19.)

In discessum suum ex Hispania,

cum regionis aëre offensus gravissime laboraret.

Hesperiae fines arentes linquimus aegri,
Et petimus blandae dulce solum patriae,
Et, quorum in manibus melius moriemur, amicos.

Cnr invisa meum terra moraris iter?
Cur mihi tot montes, cur *) saxa obstatis eunti?
Vere quid in medio me fera pulsat hiems?
Ninguida diluvium mittit liquefacta Pyrene,
Et madidns pluvias Iupiter addit aquas.
Parce meo cineri; iam non, Hispania, vivo!
Quid iuvat, heu, manes sollicitare meos?
An vero, paucis cum sis foecunda poëtis,
Laudem de tumulo quaeris acerba meo?
Ut lubet, ipse tamen fugiam terraque marique;
Ne mihi sis etiam post mea fata gravis.

IV.

(Epigr. I., 28.)

In fictos amicos.

Intumeant Zephyris si turgida vela secundis,
Et veniant fatis omnia laeta tuis,
Mille tibi comites, et mille parabis amicos;
Affinis, dominus, cunctaque solns eris.
At postquam, infidnm mutans semel aspera vultum,
Ingruerit velis aura nociva **) tuis,
Tum, qni iam fneras tot circumseptus amicis,
Et modo qui dominus, qui modo frater eras,
Haec sola a cunctis infelix dicta reportas,
Quis mihi? quid tecum? proximus ipse mihi.

---

*) Scriv. et.

**) Scriv. maligna.

V.

(Epigr. I., 54.)

Detestatio mortis accersitae.

Quid iuvat, heu, ferro fatum properare, vel undis?
Sponte venit, tacitum nec remoratur iter.
Scilicet haec omnis spatiosum turba per orbem
Victima Plutonis nil miserantis erit.
Unum omnes exspectat iter, quod Troïus heros,
Quod Numa, quod Tullus dives et Ancus iit.

VI.

(Od. I.)

Carolo V. Romanorum Imp. coronato.

Adeste, magni progenies patris,
Musae, potenti carmina Caesari
Cantate, quae fides priorum
Hactenus haud tetigere vatum.
Quae saxa rursum, quae moveant feras,
Aquasque sistant blanda volubiles,
Quae mulceant aures canore
Omnium ubique hominum süavi.
Gaudete cives, plaudite, plaudite:
Gaudete quotquot terra tenet bonos,
Curasque tristes atque acerbos
Pellite pectoribus dolores.
Sumpsit sacrato debita vertici
Post tot moras tandem diademata
Ille optimusque maximusque,
Ille vagum domiturus orbem.
Erro? anne vati talia fervido
Sagax futuri Cynthius indicat?

Quaecunque suggeris, precamur,
Ut Superis rata sint, Apollo!
Et noscat Ortus, noscat et Occidens
Unum potentem Caesara Carolum,
Quo mitius, clementiusque
Nil dederuntve dabuntve saecla:
Non si recurrant tempora, quae Iovis
Ferunt parentem, falciferum senem,
Rexisse, cum Fides, Sororque
Iusta pio superesset orbi.
Ergo querelas ponite lugubres,
Ergo repostum promite Caecubum:
Haec, haec dies, haec est choreis,
Haec rutilis decoranda flammis.

VII.
(Od. IV.)
Ad Amicum.

Ante Phoebeo cariturus igne est
Orbis, et Lunae gelidos meatus
Nesciet, linquentque tenebricosum
Sidera caelum:
Cancer arctabit spatium diei,
Porriget longas Capricornus horas
Lucis, et noctis breviore meta
Tempora ducet:
Puppis ignotas teret unca terras,
Plaustra volventur liquidas per undas,
Piscis in silvis, aper iu profundo
Pabula carpent:
Quam tui possim posuisse curam,
Sive, quod sum nunc, ero, sive Manes

Inter obscuris habitabo regnis
Pallida forma.

VIII.
(Od. VI.)

Carolo V. Imp. in Belgicam reduci.

O, qui potenti, Carole, dextera,
Quod Turca dudum barbarus invidet,
Magni quod invidere reges,
Sceptra tenes potioris orbis!
Quis te Deorum, maxime Caesarum,
His post tot annos reddidit urbibus?
Caeloque natali sacrisque,
Quae puerum tenuere, cunis?
Iam iam sepultae fletibus et nigro
Luctu serena est reddita patriae
Vultu tuo lux, et videntur
Ire dies meliore sole.
Implumis ut cum turba relinquitur,
Deserta nido mater ubi est procul,
Escamque natis fida quaerit,
Longius et solito moratur.
Exspectat usque, et usque querens, querens,
Intenta servans lumina perpetim,
Circumiacentes aut in agros,
Aut latera in spatiosa silvae:
Desideratum sic nimium diu,
Suum vocavit Belgica Caesarem:
Hunc illa votis, hunc poposcit
Thure deos, precibusque sanctis.
Hic ille namque est, numine cuius et
Pacata tuti per maris aequora

Nautae feruntur, datque terris
Semina fertilibus colonus
Securus, et iam non timet, usibus
Ne seminarit militis impii:
Per quem per agros tutus it bos;
Picta pecus terit arva tutum.
Hic Caesar ille est, qui regionibus
Exterminabit omne nefas suis:
Atque exules terra Sorores
Sideribus revocabit altis.

IX.

(Funer. Lib. XXIII.)

Epitaphium Desiderii Erasmi Roterodami.

Defunctus vita longique laboribus aevi,
Hac situs est tandem doctus Erasmus humo.
Quem licet in sera rapuerunt fata senecta,
Et vitae saturum sopiit alta quies:
Nos tamen hunc, velut immaturo funere raptum,
Flemus, et effusis diffluimus lacrimis.
Ille igitur periit! et quondam illa, illa diserta,
Et dulci manans nectare, lingua tacet!
Ingeniumque sagax, et amor virtutis et aequi,
Omnia sub parvo condita sunt tumulo!
Illum igitur canos Virtus lacerata capillos
Et Charites lugent, luget et ipsa Fides;
Collectasque rosas Parnassi ad flumina Nymphae
Inspargunt sacro Pierides tumulo.

X.

(Funer. Lib. XXVII.)

Thomae Mori Epitaphium.

Inter hospitem et civem dialogus.

H. Quis iacet hic truncus? cuius caput ense recisum est?
Quae natat iu tetro sauguine canities?
C. Hic ille est Thomas Morus: sic fata rependuut
Tristia multa bonis et bona multa malis.
H. Quae circumsistunt Divae lugubre cadaver?
C. Diva tenax veri, sancta Fides, Nemesis:
Quarum prima fuit causa, et fuit altera mortis;
Ultrix iniustae tertia caedis erit.

Helii Eobani Hessi *)

Epitaphium in Albertum Durerum **).

Quid vitam coluisse iuvat quascunque per artes,
Quaudo ea momento pars rapit atra brevi?
Par fuit Alberto pictorum nemo, sed illum
Fata diu summum non potuere pati.

---

*) Nat. d. 9. Ian. a. 1488 Bockendorfii in Hassia; def. a. 1540 initio mensis Octob.

**) Pag. 289 ed. Francof. ap. P. Brubach. a. 1564. 8.

Praescidit ergo viri vitam mors falce maligna
Et dixit moriens: „Sic quoque non moreris."

Temonio

Romam abeunti *).

Ibi Romuleos, Temoni care, Penates,
O utinam tantae sim comes ipse viae!
Vade, bono auspicio terras visure beatas,
Linque Lycaoniae subdita regna ferae!
Assiduo peragra gaudentes Marte Polonos
Et pete Misnaeae proxima rura plagae.
Inde tuae patriae circumsita moenia transi,
Quae Thuringa sinu divite servat humus.
Ingredere audaces, Baccho loca consita, Francos,
Hospitium fesso Norica rura dabunt.
Vindelici excipient, bello gens clara, Suevi,
Quique Athesim circum Rhetica rura colunt.
Quae loco sollicito peragras dum singula passu,
Qua debes Hessum respice mente tuum!
Illum namque aliqua sine te vix parte quietum,
Frigida Sarmaticis detinet ursa plagis.
Iam mihi per Scythicasque nives et frigora ponti,
Iam tecum est saevos impetus ire Getas.
Scilicet et Romam sine me Tiberimque videbis
Et Capitolini diruta templa Iovis.
Quaeque referre mora est tantam spectanda per urbem,
Sed loca praeteritum non habitura decus.
Vade tamen, quoniam sic te fortuna volentem

*) Pag. 363 sqq.

Versat et a nobis tam procnl ire iubet.
Vade Tridentinas arces Athesimque superbum
Traiice et Adriaci regna Leonis adi!
Ausonias nrbes ex ordine quamque saluta,
Quaecumque est aliqno nobilis ingenio!
Magna, tuo salve maior Verona Catullo,
Plinius hic cunas unus et alter habet.
Nescio si Venetos iubeam salvere Penates,
Caede deos faciles non habet iste locus.
Dic tamen, auspicio sed prosperiore, valete,
Nullus in hoc iterum fulminet orbe Dens.
Inde ubi contigeris Thebanae cnlmina Mantus,
Submisso geminum poplite flecte genu!
Hic volat astriferum sublimis ad aethera cycnus,
Hic sedet Andinas Tityrus inter oves.
Salve, parva domo, meritorum maxima cultu,
Mantua, praesentes digna videre deos!
Si libet, ire potes periuri Antenoris urbem.
Hic tibi, dum properas, sit mora longa, cave!
Nam cladem Veneti nunc sentit et ipsa Leonis
Quassaque Teutonici fulminis igne iacet.
Aspicies alias, nostri non immemor, urbes
Et meus hic dices Hessus adesse volet.
Post exacta viae gravioris taedia, postquam
Paene satis mediam videris Italiam.
Aspice Romuleos, septem miracula, colles
Celsaque Martigena moenia structa mann.
Vade, caput mundi, Romam, loca sacra, saluta,
Illic summa tui meta laboris erit.
Salve, terrarum domitrix, patrio aemula caelo,
Heu tamen, heu! opibus perdita Roma tuis!
Protinus aspicies saecli monnmenta vetusti,

Hei, qualis prisco tempore Roma fuit.
Caesareas arces Capitolinumqne videbis
Forte litum mnlto pnlvere stare Iovem.
Enumerare piget quae tu mirabere, quando
Lustrabis celebres cautus in urbe locos.
Vade et heu nostro iam non retineris amore.
Di faciant dextro sidere semper eas!
Quaeque iterum referent nobis te fata precabor,
Sic referant illo tempore, sicut abis.

Georgii Sabini *).

Eleg. Lib. III. 12.

Ad Germaniam.

Quo tua bellatrix abiit, Germania, virtus?
Dissimilis nostro tempore facta tui.
Vindelicis olim pepulisti finibus Hunnos,
Imperium magno cum sub Othone fuit.
Ad Solymas arces victricia signa tulisti,
Sceptriger imperii cum Fridericus erat.
Nunc procul a Tanai ducentes agmina Turcae,
Danubii ferro depopulantur agros:
In tua grassatur terrarum viscera praedo.

---

*) (al. Schüler), Marca-Brandenhurgici, nat. d. 23. April 1508. Ob. Francofurti d. 2. Dec. 1560.

Ausa nec hostiles es cohibere manus.
Te quibus ostentas, nunc utere grandibus hastis,
Et quibus in circo ludrica bella geris?
His animosa pias hastilibus assere gentes,
Si quid in audaci pectore Martis habes.
Ah pudeat Scythicis egressum finibus hostem,
Militiae nobis praeripuisse decus!
Mollia dum sequimur nos desidis otia vitae,
Aspera bellator proelia Turca facit.
Dum cane venamur lepores aut cuspide damas
Figimus, ille suo milite regna capit.
Denique nos tantum sine sanguine ludimus armis,
Ille gerit forti seria bella manu.
At generosa tuis Germania consule rebus,
Coge pharetratos vertere terga Getas!
Ipsa tuas urbes e faucibus eripe leti
Et vetus imperii Marte tuere decus!
Si secura mali non profligaveris hostem,
Tristia crudeli vulnera clade feres.

Eleg. Lib. IV. 2.

Ad Ioachimum II. Marchionem Electorem, contra Turcas proficiscentem.

Sic tibi laurigeros victoria laeta triumphos,
Sic tibi converso terga det hostis equo!
Suscipe militiae, Princeps fortissime, curam;
Pro patria duri suscipe Martis onus!
Et velut, ultorem quem sensit Hamilcare natus,
Unicus Aeneadum Scipio murus erat;
Acer ut opposuit se fortibus Hector Achivis:
Sic patriae murus sis, Ioachime, tuae!
Excitet aeternae te laudis ad arma cupido,

Qua solet heroum mens generosa trahi.
Namque duces valido patriam qui Marte tuentur,
Hos ut semideos cernis in orbe coli.
Exacuant etiam te saeva pericula, nobis
Instant a trucibus quae metuenda Getis.
Hoc igitur patriae non solum gloria bello,
Sangnine maiores quam peperere suo,
Sed quoque libertas; quam si Germania perdet,
Impia sacrilegi serva latronis erit.
Scilicet impuris cogetur dedita sacris,
Veri ludibrio nomen habere dei.
Aspice Pannoniam, quae nunc subiecta tyranno
Cogitur in templis multa nefanda pati.
Ante colebat ubi Christum solemnibus aris,
(Heu scelus) ipse locum nunc Mahometus habet.
Eripe nos igitur, crudelibus eripe Turcis:
Iustaque pro patriis suscipe bella focis!
Assere Christiadum cum libertate salutem
Atque redemptoris templa tuere tui!
Hoc rogat, hoc series exoptat longa nepotum:
Quaeque cupit nasci libera, quaeque mori.
Clarorum hoc animae poscunt manesque virorum,
Pro patria vitam qui posuere suam.
Denique captivi tensis ad sidera palmis
Hoc maesto gemitu nocte dieque petunt:
Hinc procul a nostris abductos finibus atrox
Quos instar pecudum fustibus hostis agit.
At tu magnanimi ducis annue fortibus ausis,
Aeterni soboles unica, Christe, patris.
Non fera bella gerit scelerati more tyranni:
Pro populo vindex induit arma tuo!
Illius a cunctis vitam defende periclis,

Quae dubii praeceps alea Martis habet!
Tu validas illi vires animumque ministra,
Frangat ut audaci barbara tela manu:
Qualiter invictus caelesti robore Samson
Mota Philistaeis contudit arma viris!
Sacrilegis vero Turcis immitte pavorem,
Quo dent in celerem terga cruenta fugam:
Non secus Isacidis ac bella gerentibus hostes
Versa repentino terga dedere metu!
Quod precor, eveniet: neque enim sine numine tantus
Prosequitur populi te, Ioachime, favor;
His in dissidiis patriaeque tumultibus omnes
Unanimes gaudent quod tua castra sequi.
Tanta Mycenaeus non agmina duxit Atrides,
Concidit Argolica quo duce Troia manu,
Quantas ipse equitum turmas peditumque catervas
Maximas imperii nomine ductor agis.
Teutonico cuius languore ferocia crevit,
Nunc tibi, Turcarum gens scelerata, cave!
Iam video Scythici fluvios undare cruoris,
Corpora squallenti caesa iacere solo:
Inque potestatem redigi durissima Thracum
Regna, ferus quorum sceptra tyrannus habet.
Vos et io tristi nunc solvite pectora luctu,
Quos in compedibus barbara turba tenet!
Ultor adest, qui vos dominorum caede redemptos
Liberet ac vinclis eximat, ultor adest.
O quos ille dies plausus, o quanta videbit
Gaudia, quae nullum sunt habitura modum:
Aspera finieris laetis ubi bella triumphis,
Vindice tutatus nos, Ioachime, manu;
Cumque catenati reges proceresque Scytharum

Ante tuos ibunt, inclyte victor, equos.
Aureus hanc utinam properantibus afferat horis
Lucifer et celeri Cynthius axe diem!
At iam tempus adest, ut agas in bella cohortes:
Te fera cum litnis tympana pulsa vocant.
I felix, avibusque move tua castra secnndis:
Excidat imperio te duce Turca suo!

Georgii Buchanani,
Scoti *),
Epigramata selecta **).

I.
(Lib. I. Epigr. 11.)

Ad Margaritam Valesiam Navarrae Reginam.

Si qua fides famae, super aurea sidera Iuno
Magnanimo pariter cum Iove sceptra tenet.
Ingenio pollet Cyllenius, arte Minerva,
Eloqnio Peitho est grata, decora ***) Venns.
Iura Themis praebet, vigilant ad plectra Camenae,

---

*) Nat. a. 1506, mort. a. 1582.

**) Usus sum Georg. Buchanani Operibus omnibus ex ed. Pet. Burmann. Lugd. Bat. 1725. 4. Tom. II. Part. II.

*) Burmannus coni. *decore*.

Temperat hic terras, temperat alter aquas.
Omnia non ausa est uni tribuisse vetustas,
Omnibus esse parem nec rata posse Iovem.
At tu cum regni molimina tanta gubernes,
Et cedant formae tempora prisca tuae,
Carmine contendis Musis atque arte Minervae,
Eloquio dubium est, ingenione prior:
Quaeque tuis paret tellus latissima sceptris,
Formidat fasces, iustitiamque colit.
Iure igitur praestas homines, quando omnia praestas,
Singula quae magni vix potuere Dei.

II.

(Lib. I. Epigr. 12.)

In Zoilum.

Frustra ego te laudo, frustra me, Zoile, laedis:
Nemo mihi credit, Zoile, nemo tibi.

III.

(Lib. I. Epigr. 13.)

Ad amicum quendam.

Ad coenam sese dixit tuus affore vates.
Dixit; sed vates dicere falsa solent.

IV.

(Lib. I. Epigr. 20.)

In amicum quendam.

Unus eras, memini, quondam de plebe; nec alter
Te minus in tota turgidus urbe fuit.

Nunc te alium credis, veteremque haud noscis amicum,
Splendidus in Tyria quod spatiere toga.
Falleris: hanc et ovis, qua tu nunc veste superbis,
Ante tulit, nec adhuc est aliud, nisi ovis.

V.

(Lib. II. Icon. 14.)

Dido.

Casta, decens, generosa animi, Phoenissa peregi
Foemina magnanimis vix imitanda viris.
At tu sacratam, Maro, labe adspergere famam
Conaris, famae non sine labe tuae.

VI.

(Lib. II. Icon. 18.)

Laurentius Valla.

Quid celebras Marios, Curios, fortemque Camillum,
Miratrix veterum, Martia Roma, ducum?
Omnibus iis egit potiorem Valla triumphum:
Unde tuus cuncta in saecula vivet honos.

VII.

(Lib. II. Icon. 19.)

Idem.

Monstra animi domuere sophi: quae terra vel Orcus
Protulit, Herculea sunt superata manu.
Portentis Latium sermonem Valla levavit,
Invicto expugnans pectore barbariem.

VIII.

(Lib. II. Icon. 27.)

Ad Thomam Randolphum Anglum.

Saepe tibi, Randolphe, iubes me pingere Regem,
 Qualem optem, tribuat si mihi vota Deus.
Accipe! Sit primum verae pietatis amator:
 Effigiem summi se putet esse Dei.
Pacem amet: et, si res poscat, sit ad arma paratus:
 Exuat in victos arma odiumque simul.
Nolo nimis parcus, nimium sit nolo benignus:
 Utraque regno aeque est exitiosa lues.
Non sibi, sed populo sese putet esse creatum,
 Et se communem civibus esse patrem.
Puniat invitus, cum res iubet esse severum:
 Publica cum poscent commoda, lenis erit.
Vivat, ut exemplar populo sit recta sequendi:
 Sit vultus pravis terror amorque bonis.
Excolat impense ingenium corpusque modeste:
 Luxuriem frenet cum ratione pudor.
Iam tacitus tecum: Tentas me fallere, tanquam
 In tabulam qui mihi pingis heram *).

IX.

(Lib. II. Icon. 30.)

Chrysalus.

Dives opum, pauperque animi, plus possidet auri
 Chrysalus, in fulva quam vehit Hermus aqua.
Possidet inclusum sed caeci carceris umbris:
 Nec procul infernis, ut reor, a tenebris.

*) Sc. Elisabetham Angliae Reginam.

Et decies una vel saepius inspicit hora,
Et numerans miseras usque fatigat opes.
Nec satis hoc: centum ferratis limina portis
Addita, centenis ferrea claustra seris.
Custodesque canes atque horridus aere satelles
Excubat ad clausas pervigilatque fores.
Non miser uxori, non audet credere natis:
Frigida non pictis quos habet ara Deis.
Formidat, si vermis humo, mus exeat antro,
Si luteum Progne sub trabe figat opus:
Si trabibus laxum suspendit aranea cassem,
Esse putat nummis retia tensa suis.
Si sol rimosas penetret vel luna fenestras,
Et tenuem fudit *) lux inopina diem:
Oblinit extemplo rimas, ne scilicet auro
Inficiat radios ille vel illa suos.
Nec minus obscuras formidat luce tenebras,
Et latebras promtas ad scelus omne duces.
Ipse suam, veluti furem, luctatur in umbram:
Gypsatas metuunt credula corda manus.
Huc labor, huc miseri spectat vesania voti,
Et trepidi semper corde micante metus.
Post inopis curas et inania taedia vitae,
Dives ut ad Stygias isse feratur aquas:
Atque opibus mortem ceu placaturus avaram,
Semper inops vivit, ne moriatur inops.

*) „Commel. *fundit.* Fort. *fundat* legendum.“ Burmann.

M. Antonii Mureti *)

Carmina selecta **).

I.

Mario Crucio.

Forma aetate perit: vires aetate fatiscunt;
Casibus innumeris eripiuntur opes:
Una, Mari, est virtus, quam non vis temporis aufert,
Non premit indigno sors inimica pede.
Una suos invicta perennibus inserit astris,
Fortunae imperio liberat una suos.
Hanc sequere! Insani est postponere firma caducis,
Veraque quae bona sunt, spernere, falsa sequi.

IV.

(Ibid. p. 712.)

Sub exortum diei.

Roscida purpureos effert Aurora iugales,
Et nitidum Soli praevia sternit iter:
Noctis aves dudum rupere silentia cantu,
Nullaque iam caelo, rara vel astra micant.
Exit flammivomo Phoebus spectabilis ore,
Et tenebras densae noctis abire iubet.

---

*) Natus est in Gallia Aquitanica in pago suburbano Lemovici an. 1526; obiit Romae an. 1585.

**) Ex Iuvenil. in eiusdem Operum omnium Tom. I. p. 710. ed. Ruhnk.

Christe, patris splendor, vero me lumine reple,
Atque meo tenebras pectore pelle procul!

V.

(Ibid. p. 714.)

In Paulum.

Quae tu condideras, inspexi carmina nuper,
Lectaque sunt, fateor, terque quaterque mihi:
Nec tamen evalui cognoscere, quid sibi vellent:
Usque adeo obscure scribere, Paule, soles:
Nam tu verba, puto, ex libris accepta Sibyllae,
Quaeque Catonis erant tempore prisca nimis,
Versibus infercis, gaudesque obscurus haberi,
Et velut inducta singula nube tegis.
Errasti hoc tantum, quod mittens carmina, Paule,
Debueras una mittere grammaticum.

VI.

(Ibid. p. 716.)

In Divam Catharinam.

Quo te praecipue commendem nomine, virgo?
Laus etenim quae te non minor esse queat?
Magnum erat errores veterum liquisse parentum;
Maius at imperium deseruisse fuit.
Magnum erat immanis rabiem sprevisse tyranni;
Supplicia at maius sponte subire fuit.
Magnum erat his vitam sponte obiecisse periclis:
Maius nunquam animo succubuisse fuit.
O decus eximium patriae, sexusque polique!
Dicere te merito nullus honore potest.

VII.

(Ibid. p. 720.)

De morte M. Bruti.

Brutus ut Augusto belli succedere palmam,
Et paullum a victis vidit abesse suos,
Amplexus gladium multa iam caede madentem,
Ergone te, dixit, sospite servus ero?
Quin potius fatis id, quod praeclusa malignis
Non potuit patriae, id dextra datura mihi est.
Haec fatus, rutilum per costas exigit ensem,
Magnanimoque cadens pectore pulsat humum.
Sic quoque, dum moritur, labris dum spiritus errat,
Nunc, ait, invito Caesare, liber ero.

VIII.

(Ibid. p. 721.)

De morte Ciceronis.

Cum ferus astaret stricto mucrone satelles,
Sumere supplicium de Cicerone parans:
Immoto vultu atque oculis constantibus ille
Praebens infanda colla secanda manu:
Publica libertas vita mihi carior, inquit,
Me quoque, me fas est, te moriente, mori.

II.

(Ibid. p. 711.)

In Pontilianum.

Cur tua vix unquam sint salsa epigrammata, quaeris?
Diluis haec nimio, Pontiliane, mero.

III.

(Ibid. p. 712.)

De Pompilii naso.

Pompilio est nasus cubitos tres longus et unum,
Latus et hunc murus cingit utrinque triplex.
Adsunt et turres, Bacchus quas condidit ipse,
Et minio tinctis usque rubere dedit.
Huic etiam naso vis admiranda tributa est:
Nam calices siccos illius umbra facit:
Imo etiam longe distans si senserit usquam,
Ut magnes ferrum, sic trahit iste merum.
Nuper eram in mensa, sitiens, potare paratus:
Pompilius clausas astitit ante fores:
(Mira canam, sed vera) merum mihi forte paratum
Attraxit naso protinus ille suo.

IX.

(Poëmat. Var. Lib. I. ibid. p. 768 sq.)

Raphaëlis Urbinatis, pictoris eximii, tumulus.

Ipse loquitur.

Sic mea naturam manus est imitata, videri
Posset ut ipsa mea esse imitata manus.
Saepe meis tabulis ipsa est delusa, suumque
Credidit esse, meae quod fuit artis, opus.
Miraris, dubitasque? Audito nomine credes.
Sum Raphaël. Hei mi, quid loquor? Immo fui.
Et tamen, his dictis, quid opus fuit addere nomen?
Alterutrum poterat cuilibet esse satis.
Nam mea et audito est notissima nomine virtus:
Et praestare vicem nominis ipsa potest.

Petri Lotichii Secundi *)

Poëmata selecta.

Lib. I. Eleg. I.

Ad Iacobum Micyllum praeceptorem.

Conqueritur quod in primo aetatis flore relictis studiis militare cogatur.

Me tenet hiberno sub sidere Maenalis ursae
  Proxima Vandalico terra, Micylle, solo,
Flavus ubi torquens infidas Albis arenas
  Labitur, Arctoas maximus inter aquas.
Finitimis Aquilo spirans animosus ab oris
  Stridet et immani turbine verrit humum.
Nec frugem segetes maturo tempore praebent,
  Culta racemiferis nec viret uva iugis.
Namque fere media plus parte volubilis anni
  Acris Hyperboreo frigore saevit hiems.
Nunc autem tepidos Phoebus superingerit ortus,
  Blandaque Riphaeum temperat aura gelu.
Arboribus frondes redeunt et gramina campis,
  Et laetis gremium frugibus ornat ager.
At pax dulcis abest, Zephyrisque tepentibus hostes
  In caput innocui Principis arma ferunt.
Nec mihi fas portas ultra procedere, nec me
  Commoda purpurei veris in urbe iuvant.

---

*) Solitariensis, nat. d. 2. Nov. a. 1528. Ob. Heidelbergae a. 1560 d. 7. Novembr. aetat. 32.

Ardua de solido stant propugnacula saxo,
Et novus inducta murus obitur aqua.
Agger et in vacuas praeceps attollitur auras,
Densaque suggesta texta replentur humo.
Ipse novis equitum comitantibus imminet alis
Caesar, et armati detinet hostis iter.
Interea lucent totis incendia campis,
Quo vocat errantes praeda vel ira duces.
Dissultant fremitu colles, et ferrea late
Pondera, sulfureis ignibus acta, volant.
Fortunate senex, tu mollia vere salubri
Otia, quod toto pectore laetor, agis,
Nascentemque diem decedentemque salutas,
Nec rumpunt somnos classica pulsa tuos.
Nobis nulla quies, nec cum se condit in undas,
Nec cum Sol versis mane recurret equis.
Quam miserum est rigido cum milite ducere vitam,
Qui putat armata cuncta licere manu!
Est etiam socios illis iugulare voluptas,
Perque vias dantur vulnera, perque domos.
His comes in vallo, nudoque sub aethere noctem
Exigo, et insomnes in statione vices.
Unde oculos tollens ad magni lumina mundi,
Sidera natali metior orta meo.
Lucidus hic geminas sinuosis flexibus Arctos
In morem liquidae separat Anguis aquae.
Illic Saturni contristat Pleiades astrum,
Orionque alto mergitur Oceano.
Parte alia, terris tantorum causa malorum,
Carceris obscuras Mars iacet ante fores.
Felix qui vidit meliores aetheris ignes,
Sive tuos, Arcas, seu, Venus alma, tuos.

Non ego pro patria belli detracto laborem
  Degener, aut viso protinus hoste tremo.
Ire nec ad manes pro libertate recusem:
  Dulce foret Reges inter et arma mori.
Sed neque iam celebres usquam virtutis honores,
  Imperii nusquam, militiaeque decus.
Et iam fata ducum video, clademque propinquam,
  Nudaque praesidiis oppida capta suis.
Hoc perdit nostras, hoc olim perdidit urbes,
  Funditus infanda seditione ruunt.
Tu vero pacis custos, Phoebique sacerdos,
  Argutae fidicen, culte Micylle, lyrae:
Carminibus fac rite piis, ut tristia cessent
  Exilia, et praedae, sollicitusque timor.
Pax castas secura domos, Pax incolat urbes,
  Pax olea canas cincta virente comas.
Haec tu posce Deum sacras prostratus ad aras:
  Perpetua detur sic tibi pace frui!

Lib. I. Eleg. II.

Ad Melchiorem Zobellum compatrem.

A militia dehortatio.

Sic igitur dulces potuisti linquere Musas
  Martiaque imprudens castra, Zobelle, sequi?
Et tibi iam tanti est artes cognoscere belli,
  Et fera quo soleant praelia more geri?
Scilicet a teneris ut mercenarius annis
  Vulnera consuescas servitiumque pati;
Et subeas toties manifesta pericula vitae,
  Dum cava terrificis ictibus aera tonant.
Quam bene pugnabant olim, cum moenia nondum
  Turribus, aut fossis oppida cincta forent:

Machina nec volucres torqueret aënea glandes
  Sed gererent partes ensis et hasta suas!
Tunc clarum tibi magna parens Germania nomen,
  Nostraque libertas sanguine parta fuit.
Nunc tua dilacerant inimicae viscera gentes,
  Vendis et externis in tua damna fidem.
Ante tuos oculos ferro grassatur et igni
  Barbarus, et Geticis Hunnus oberrat equis.
O pereant turres, fossaeque et inutile vallum!
  Pax ades, aut virtus illa paterna redi!
Me iuvat in studiis consumere dulcibus aevum,
  Signaque Musarum prosperiora sequi:
Et quae sera legat nostri non immemor aetas,
  Carmina tranquillae fingere pacis opus.
Sed tamen ausus eram validis quoque nuper in armis
  Magnanimi custos ad latus ire Ducis.
Iam caput indueram galea, frameamque gerebam,
  Aptus et huic lateri quilibet ensis erat.
Sed Dea, Castaliis quae maxima praesidet undis,
  Non tulit, et vultus constitit ante meos.
Constitit, et tenerae florem miserata iuventae,
  Ergo, puer, fies tu quoque miles, ait?
Torta quid imbelles urguet lorica lacertos?
  Quid gravat aeratae cuspidis hasta manum?
Iam populatrices inter potes ire catervas?
  Iam longae patiens esse sub axe viae?
At (memini) nuper fera bella timere solebas,
  Classicaque insuetis auribus horror erant.
Unde novus rigor hic? unde illa ferocia venit?
  Mitis honoratae Pacis amator ubi es?
Sed, puto, praeda iuvat, spoliisque Aquilonis onustum

Sublimem niveis Fama reducet equis.
Quin meliora tibi solvemus praemia Musae,
Praemia per raras ante petita manus.
Longa dies regum turres consumit et aurum,
Et spolia in templis exuviaeque ruunt.
At decus ingenii durat, vatumque labores.
I nunc, et partas sanguine confer opes!
Adde, quod incerto Mars proelia turbine versat,
Casus et instabiles miscet utrimque vices!
Ah teneris maius ne quis iuveniliter annis
Audeat, et vires consulat ante suas.
Tempus erit, Pindum superans cum Caesar et Haemum.
Figet in Odrysiis celsa tropaea iugis.
Tunc si tantus amor belli, si tanta cupido est,
Acer in adversos ense licebit eas.
Terribiles nunc linque tubas et castra, nec auctor
Ante diem propera funeris esse tui!
His ego commotus dictis, vultuque monentis,
Ite statim, dixi, castra tubaeque procul!
Rursus et Aonius calor in mea pectora venit,
Ipsaque devovi quae prius, arma tuli.
Difficile est tacitos naturae abscondere motus,
Ponere difficile est, quae placuere diu·
Scilicet ingenuas mansuescunt corda per artes,
Nec rigidos mores esse Thalia sinit.
At tu, quandoquidem rerum sic impetus urguet,
Et novus accendit pectora laudis amor,
I, tua quo, Zobelle, vocat te fervida virtus,
Et grave militiae fer patienter onus!
Ne tamen, ah, densos vitae contemtor in hostes
Irrue, scis quam sit dulce redire domum.

Tunc mihi narrabis, validas quis ceperit urbes
  Primus et hostiles fregerit ultor opes.
Qualiter adversis concurrant agmina signis,
  Altaque tormentis moenia quassa ruant.
Et quaecumque illis exhausta pericula terris.
  Hunc celeri portet Lucifer axe diem.

Lib. I. Eleg. VIII.

Ad Silvas prope Albim fluvium.

Queritur de diuturnitate belli et hostium crudelitate.

Iusta queror, quamvis nil proficientia fundam
  Nubibus, et Zephyri verba caduca ferant.
En iterum silvae nostras audite querelas:
  Cresce iterum lacrimis, spumifer Albi meis!
Nam gravius tacitis mens carpitur anxia curis;
  At mihi, cui referam, nullus amicus adest.
Vos coryli, vos haec memores ediscite fagi,
  Testis et e celsis adsonet aura iugis.
Qua merui culpa tam saevam numinis iram?
  Quae coniurarunt in caput astra meum?
Cultor Apollineae modo qui placidissimus artis,
  Aspera cum lituis bella perosus eram:
Nunc agor insanis violenti Martis in armis,
  Vix numerans vitae bis duo lustra meae.
Ingrediorque fero tenerum latus ense revinctus:
  Ense lacessitas instruo saepe manus.
Asperitasque mihi simulatur, et opto timeri,
  Et meditor rigidis moribus esse ferox.
Scilicet idcirco fessos aetate parentes,
  Infelix patruum deseruique senem:
Ne mihi cum sacris essent commercia Musis
  Amplius, et vulgi pars rudis una forem?

Hoc aliquis nuper si praedixisset eunti,
Miles in his terris, quas petis, arma geres:
Tu quoque dixissem, pelago licet altior, Arctos,
Occidui vetitas in maris ibis aquas.
Parrhasides liquido vos aequore tingite stellae;
Arma peregrino miles in orbe gero.
Vos ego nunc dulces, qui me defletis, amici,
Admonitos iubeo casibus esse meis.
Disce memor sortis, quisquis sapis, esse futurae,
Ire solet pulso nubila Sole dies.
Temporis, Aonides, iuvat o meminisse beati,
Omnia quo tutae plena quietis erant.
Cum tenerae passim choreae, cantusque sonarent,
Nec fera materiam carminis arma darent.
Quid mihi vobiscum est, infamia Caesaris, Hunni?
Cur niger Arctoas potat Iberus aquas?
Quisquis es, invisum te semper Erinnyes atrae,
Ultrices dirae proditionis, agant:
Qui placidam furiis populi turbare quietem
Ausus es et castris hos sociare tuis.
Quod precor, eveniet: movere cacumina quercus,
Silvaque concussis adnuit alta comis.
In patriae clades ignominiamque ruentis,
Dic age, civilis non satis ensis erat?
Cor dolet ac penitus tremor intima concutit ossa,
Cum subeunt oculis omnia visa meis.
Quanta sitis nostri stricto semel ense cruoris?
Quantus in immani pectore caedis amor?
Morte piae graviora timent, fugiuntque puellae,
Inque sinu matres pignora cara gerunt.
Ah quoties, dum lustra ferunt per devia gressus,
Incitat a tergo quaelibet aura metum!

Ah quoties, strepitum ramis facientibus altis,
Hostiles aliquis credit adesse pedes!
Interea Scythicis equitum de finibus alae,
Squalida funestis caedibus arva replent.
Ignibus intonsi montes, campique relucent.
Ferreus est, eheu! quem nihil ista movent.
At simul e specula turmalis buccina signum
Edidit, et litui, raucaque terga sonant:
Ilicet arma, fremunt omnes, arma, arma frequentant,
Unaque per muros vox sonat, hostis adest.
Hostis adest, vox una sonat, simul aerea late
Pondera tormentis grandibus acta, volant.
Inde ruit miles, veluti de montibus altis
Ille canum saevis morsibus actus aper.
Nam dolor ardentes iustissimus incitat iras,
Conscia mens animos adiuvat, ira manus.
Sed pavidus viso dat inertia milite terga
Hunnus, et admissos calce fatigat equos.
Tollitur ad caelum densa caligine pulvis,
Ictaque quadrupedum cursibus arva tremunt.
Mox redeunt matres fessae pavidaeque puellae,
Sive nemus latebras, seu dedit alta seges.
Aspiciuntque suae fumantia culmina villae,
Nec quisquam flammis addere curat aquas.
Sed veluti lacrimae sedare incendia possint,
Ex oculis, tanquam fonte, perenne fluunt.
Haec miseris superest, post omnia, sola voluptas,
Hostis inhumana de feritate queri.
Hinc artus laceri, vacuosque inventa per agros
Corpora natali defodiuntur humo.
Felices animae, parta iam pace, quiescunt
In patria, pro qua non timuere mori.

Non spes ambiguae, tumulique ante ora recentes,
  Discruciant variis, et labor ipse, modis.
Nec minus interea fugit, heu! fugit utilis aetas,
  Quodque semel periit, fata redire negant.
Ergo nec Aoniae cingent mea tempora lauri,
  Carmina nec doctis vatibus aequa canam.
Hoc etiam (quoniam tulimus peiora) feremus,
  Si modo non bello nos graviora manent.
Heu mihi, quae duris vox rupibus icta resultat?
  Triste quid hoc iterant concava saxa? manent.
Nil laeti superest: ostentant omnia luctus.
  Nescio quae clades sera, sed ampla, venit.
Hoc erat, hesternae quod turbida noctis imago,
  Maesta quod obscoenae signa dedistis aves.
Tu tamen haec serva nostri monumenta doloris
  Arbor, et incisis cresce videnda notis.
Quas aliquis viridi spectans in cortice, tempus
  Militiae possit flebile scire meae,
Sortis et admonitus praesentis, fletibus herbas
  Saepe meis sparsas, spargat et ipse suis.
Quid queror infelix? Sine pondere verba querentis
  In pelagus rapidis devehit Albis aquis.
Sic iterum, sic saepe tamen iuvat edere questus.
  Hos mihi cum bello finiet una dies.

Lib. I. Eleg. XI.

Ad Amicos.

De suo in patriam reditu facta iam pace.

Cingite io lauri, ter io mea cingite lauri
  Tempora; finito proelia Marte silent.
Nunc funesta mihi (vix possum credere tantum)
  Arma licet facta pace referre domum.

Nunc scio, tranquillae quam sint bona commoda pacis,
  Bellaque sint terris quale cruenta malum.
Proderit hoc olim prima didicisse iuventa,
  Martis inexpertis dulce videtur opus.
Este salutati, quos sum complexus, amici,
  Sive quis in studiis, seu tulit arma simul.
Vos ego nunc, animi pars nostri magna, relinquam,
  Natalis repetens dulcia rura soli.
Castra valete, valete enses, vale hospita tellus
  Et nemus et lacrimis conscia ripa meis.
Vos quoque consortes operum, quos nuper acerbo
  Funere Mars hausit turbidus ante diem,
Illustres salvete animae longumque valete
  Tuque, sed (heu) fractis cornibus, Albi, vale!
At tu parce, precor, subiectis, inclyte Caesar,
  Humanae factus sortis ab hoste memor.
Gloria victori est victis donare salutem,
  Nec crimen, quidquid non bene cessit, habet.
Laeta volubilibus Victoria passibus errat;
  Et magni reges et cecidere duces.
Fallor? an incipiunt alti subsidere montes?
  Spirat et e patriis lenior aura iugis?
Salve, dulce solum! non mitis et optima rerum
  Pax tibi, non agri fertilis uber abest.
Non tibi prata suis desunt rorantia rivis,
  Ubera quique ferant nectare plena greges.
O quoties ego, Cynthi, tuas, placidissime, lymphas
  Optavi! quoties, herbifer Aci, tuas!
In somnis quoties gelidos haurire liquores
  Visus et herboso pellere fronte sitim!
Cum mihi succensas torreret anhela medullas

Febris et ante oculos mors foret atra meos.
Salve, terra meae, servans cuuabula gentis,
  Terra poteus aequo iure Deumque metu!
Serior his utinam me vallibus occupet aetas,
  Quas olim veteres incoluistis avi.
Nec mihi deficiant hortus fidique sodales,
  Nec liquor, in patriis quem tulit uva iugis.
Nec lyra, maturis vires adimeutibus anuis,
  Triste senectutis quae leve reddat onus.
Pegasides, requies curarum sola meorum,
  Vos ego, quod superest, tempus in omne colam;
Vos date, Castaliae, vatum pia numina, vestro
  Plena sacerdoti pócula rursus aquae.
Nec mibi sit damno, quod me lacrimosa coëgit
  Proelia deserto Mars Helicone sequi.
Non ego supposui tectis insontibus ignes,
  Facta nec iniusta est dextera caede nocens.
Et licet ad magnos victoria flexerit hostes,
  Arma tamen causa pro meliore tuli.
Vos quoque sum lituos inter veneratus et enses,
  Quodque fuit vacuum têmpus ab hoste, dedi.
Deque tot amissis etiam nuuc pauca supersunt
  Carmina, militiae tempore facta meae.
Vade agedum, consuesce legi, manibusque teneri,
  Parve, sed auctori care, libelle, tuo!
Non ego te viridi genui proiectus in umbra,
  Otia quae sacris vatibus esse solent:
Sed trepidas inter pugnas, dum Carolus armis
  Caesar ad iufaustas fulminat Albis aquas.
Tu mihi curarum requies: tu dulce laborum,
  Saepe vel obscura uocte, levamen eras.
Qualiscumque meis vivas diuturnior annis,

Perque manus serae posteritatis eas.
Aspera cum numeris gravioribus arma valete!
Pax iuvat, in teneris sint mea regna modis.

Lib. V. Eleg. I.

De Philomela.

Dum sedet ac dulces iterat Philomela querelas,
Pendula qua vitreas arbor opacat aquas:
Alitis effigiem subiectis spectat in undis,
Blandaque vicinis vox redit icta iugis.
Illaque dum queritur, simul ipsa videtur imago
Aemula sub ramo dulce virente queri.
Tum stupet et vere volucrem putat esse, quod umbra est,
Et sibi divini carminis esse parem.
Perstat et invidia moerens tabescit inani,
Certa, nisi vincat, victa dolore mori.
Omnia depromit discrimina gutturis, omnes
Elicit, innumeris flexibus usa, modos.
Postremo multas frustra dum certat in horas,
Seque repercusso decipit ipsa sono:
Unguibus et rostro simulacrum invadit et alis,
Inque necaturas inscia fertur aquas.
Vidit et exanimem viciuo cespite texit
Triste genus leti commiseratus Acon.
Addidit et titulum: FALSUS QUAM PERDIDIT ERROR,
DAULIAS HIC VIRIDI CONDITUR ALES HUMO.
Infelix fatum, quae laudis tanta cupido est?
Fallor, an et miseras nos imitamur aves?

Carm. Lib. I., 11.

Ad Acin fontem.

Aci, decus nemorum, viridi circumdate musco,
Unde ferunt atavos saepe bibisse meos,
Tu mihi secessus Heliconis et otia praestas,
Aoniasque tuo fonte recludis aquas.
Tu placido molles invitas murmure somnos,
Nec levat arentem purior unda sitim.
Non pecudes rivum turbant, limusve, sed imum
Splendidior vitro lucet ad usque solum.
Flumineos latices hic libat et abdita ramis
Multa nemus querulis cantibus implet avis.
Hei mihi, quod iuvenis tellure altrice relicta
His careo silvis, hic ego semper aquis.
Dulce sed exhausti quondam meminisse laboris,
Estque pererrato gratior orbe quies.
Ergo vale rursus, nostri memor, herbifer Aci!
Hoc tibi discedens opto, perennis eas.

Ecloga II.

Viburnus venator.

Forte quiescebat gelida Viburnus in umbra
Venator, liquidas ubi tardis flexibus undas
In mare deducit per opaca silentia Varus.
Illic, mane novo, salicum nemus inter amoenum,
Ah procul a dulci patria, clamore propinquos
Implebat Ligurum montes, et brachia caelo
Tendebat lacrimans, surdasque ita flebat ad auras.
Sol, qui luciferos tollis de gurgite vultus,
Purpureoque rigas diffusum lumine mundum,
Abde caput, Sol magne, nigrescant omnia circum,

Dum queror infandos casus et acerba meorum
Exilia et divos suprema comprecor hora.
O patria, o regum genitrix, clarissima bello;
Plena animis, felix populis, et prole virorum,
Dum fortuna fuit, nunc Dis aversa voluntas
Iamdudum: vera ergo tuos mihi fama labores
Ad maris Hesperii litus, Solemque cadentem
Detulit? unde furor? quae tanta iusania ferri?
Dicite vos altis lapsi de montibus amnes,
Rhene pater, tuque uber aquis stagnantibus Albi,
(Scitis enim et longo memores repetetis in aevo)
Quot nati cecidere ducum? quot in aequor apertum
Quadrupedesque virosque et fortia volvitis arma.
Vos etiam avectas externo milite praedas
Oppidaque eversasque urbes vidistis et arces
Collibus impositas, ferro quas impius hostis
Eruit aut hausit ferro crudelior ignis.
Sistite currentes, vaga flumina, sistite lymphas!
Impius haec nobis hostis monumenta reliquit,
Sanguine fumantes campos, squalentiaque arva.
At vos adversis undas diffundite ripis
Tantorumque ignominias abolete malorum!
Infelix patria, eu longi quae praemia belli,
Quam spolia ampla refers! uostros affectat honores
Barbarus, in nostris regnans agit otia silvis!
Nos procul expulsi, rapido loca torrida ab aestu,
Litoraque usta siti et vacuas lustramus arenas,
Quique olim in tacitis nemorum secessibus omnem
Florem aevi et primos venatibus egimus annos,
(Heu sortem miserandam!) istis nunc ostrea saxis,
Ostrea et haerentes scopulis avellere conchas,
Discimus, aequoreisque famem solamur echinis,

Et saepe in nuda defessi sternimur alga:
Vix humiles Varus salices alnosque virentes
Sufficit et dulces nautis sitientibus undas!
O ubi culta secans liquido pede Cynthius arva
Per virides saltus, perque avia lustra ferarum
Labitur et Dryadum secretos audit amores:
Dum puer assueto residens canit Acis in antro.
Huc ades, o Telethusa, ades, o mi dulcis Oreas!
Ille canit, valles iterant collesque resultant.
Sed neque iam pulchrum superest, nec amabile quidquam,
Nec prior illa colit silvas et rura voluptas:
Ipsa fugat longe pavidas discordia Nymphas,
Effera dum montes nigris circumvolat alis,
Et consanguineos trahit in fera proelia Faunos.
At tu si precibus, lacrimis si flecteris ullis,
Omnipotens miserere pater, miserere laborum
Tantorum, satis ultrices exhausimus iras.
Si tamen id fixum sedet, ut commissa luamus
Nostra, iuvat scelerum meritas exsolvere poenas,
Ut placida saltem crescant in pace nepotes:
Si qua dies possit gentis sarcire ruinas.
Hoc precor, hanc manes liceat spem ferre sub imos.
Exsere luciferos Sol nubibus, exsere vultus!
Hactenus haec Viburnus: eum audivere gementem
Vicino Lycidas qui forte sedebat in antro
Et celsis Ligurum descendens montibus Acron,
Exilii comites, ambo florentibus annis,
Insignes ambo calamis, venatibus ambo:
Illi, ut crescentes mulcerent carmine curas,
Et veteris luctus consolarentur amici,
Inter se alternos coeperunt edere cantus.

Tunc prior haec Lycidas, haec ordine proximus Acron.
Lyc. Nymphae, caeruleo quas nutrit Varus in amne,
Sit mihi fas, Nymphae, salicum de fronde coronam
Texere, iam primum viridi pubescimus aevo,
Mox dabitis natas haec ipsa ad flumina myrtos.
Acr. Aurae, quae gelidos colitis per devia lucos,
Dum sedeo et tectus canto fluvialibus umbris,
Vos lenite aestus, numerosque et verba canentis,
Sicubi fessa iacet, Nisae referatis ad aures.
Lyc. Fluminibus valles riguae, vaga flumina ripis,
Arboribus ripae, fletu gaudemus amantes.
Flevimus et plenos lacrimarum fudimus amnes,
Et tamen (heu!) quantis torrentur pectora flammis!
Acr. Arcturo cervos, Delphini sidere tauros,
Vere novo rigidos Venus ignea concitat ursos:
At furor ille mihi toto non deficit anno,
Nec finire licet tantos mihi morte dolores.
Lyc. Ille aper (ah) miseris qui vastat rura colonis,
Ille ferox si pendet aper mihi sanguine poenas,
Hic Triviae celsa reddam capita horrida pinu.
Mitis ades, nemorum custos Latonia virgo!
Acr. En de ramosa venabula quatuor orno,
Ecce duo tibi, Nisa, duoque hastilia Nymphis.
His feries pavidos, nemora inter frondea, cervos,
Cervos et capreas et fulvo tergore damas.
Lyc. Ad fluvium duc, Daphni, canes (vocat aestus in umbram)
Nec catulos virides sine lascivire per herbas!

Eia agedum, requiesce, Lacon, requiesce, Lycarba,
Fervidus Hesperias dum Sol declinet in undas!
Acr. Ad salices, mea Nisa, veni, dum retia tendo!
Hic nemus, hic gelidis lenes afflatibus aurae.
Huc ades, o mea Nisa, novos tibi ruris honores,
Purpureas uvas et cana Cydonia servo.
Lyc. Vesper adest, pueri, nodosa refigite lina,
Humidaque ad Boream suspendite, non bene Lunae
Creditur: hoc primum: sed cum praenuncia lucis
Fulserit exoriens Aurora, revisite silvas!
Acr. At mihi nocte magis latos obsidere campos,
Insidiisque placet dumosas claudere valles,
Cum terraeque fretumque silent, micat Arcadis ursae
Sidus, et argutis circum tremit ignibus aether.
Lyc. Exul ago, et teneros meditor (quis credat!) amores,
Solarique iuvat rapidos, quibus urimur, aestus
Flumine, Vare, tuo. Quid tum, si fata negabunt
In patriam reditus? Tellus commune sepulcrum est.
Acr. Vos ego dilectos cineres atque ossa parentum,
Et nemora, et dulces iabeo salvere penates.
Cynthi vale! Quid tum, patriae si nulla videndae
Spes superest? Uno sub sole iacebimus omnes.
Haec illi: at mediis Varus caput extulit undis,
Rugosoque notans in fagi cortice versus,
Cetera ad Eridani, dixit, cantabitis amnem,
Dixit, et obliquo rursus caput abdidit alveo.

Michaëlis Hospitalii *),
Galliarum Cancellarii,
Carmina selecta.

Epistol. Lib. II. p. 80 sq. **).

Ad Cardinalem Lotharingum.

Lothari magnum iubeo salvere nepotem,
Qui veteres longo post tempore visit amicos,
Ereptus variis pelagi terraeque periclis.
O geminos fratres, nostrae duo lumina gentis!
Ille duces inter multos fortissimus omnes
Saepe malum nostris aut finibus arcuit hostem,
Congressumve acie campo superavit aperto:
Tu sermone potens, suavis dulcedine linguae,
Auribus apprensos homines ut fune retorto
Huc illuc versare potes, seu pace tuorum
Formandi mores, seu gens procul extera nostris
Legibus imperioque rudis parere docenda est.
Talem credibile est primorum aetate parentum
Enituisse aliquem, sparsis sine lege per agros
Qui populis persuasit, ut iisdem vivere vellent
Inclusi tectis, simul iisdem legibus uti.
Nunc tibi quando vacat tua florida visere rura

*) Arverni, nat. an. 1503. Diem supremum obiit in Viniano suo circiter septuagesimum aetatis annum d. 13. Mart. an. 1573. Fuit ingeniosus felixque Horatii imitator.

**) ed. Vlaming. Amstelaedami 1732. 8.

Et riguos circum Dampetrae fertilis hortos
Ire vel aërii montem lustrare Mèdoni:
Coniunctum villaeque nemus caeloque minantes
Pyramides excisaque rupibus antra cavatis,
Dis gratam patriis sedem Romaque profectis,
Et spatia in medio congestae ingentia terrae,
Aequatosque solo tumulos et plana locorum,
Unde tibi pulchram longe prospectus in urbem,
Unde Vicennarum saltus Regumqne sepulcra
Despicis et pingues, quos Sequana perfluit, agros.
Haec tua regna tibi concessu Regis obire
Quando licet, curis animum laxare memento,
Quae iuveni spargunt albos per tempora canos,
Turpibus et rugis deformant frontis honorem
Ante annos atque ante diem. Cape gaudia ruris
Cum Nymphis genioque loci, cum paupere vatum
Musarumque sacro conventu, disce minora
Velle sequi, parvaque humilique remissius in re
Ludere, nec semper cum regibus esse beatis!
Quondam etiam superi caelo petiere relicto
Congressus hominum, nec vilis tecta coloni
Despexere lutoque domos et arundine structas.
Tu quoque fastum animo tantisper et excute reges
Magnificos atque haec nobiscum oblivia pota!

Epist. Lib. II. p. 120 sqq.

Ad Lancelotum Carlum, Episc. Rhegiensem.

Ibis, amice, tuo Regi comes, ibis inermis
Inter et armatos et spicula saeva ferentes,
Instructus calamo scribendis versibus apto:
Egregius vates perhibetur ut Ennius olim

Scipiadam fortem Romana in castra sequutus.
Nec cantare dncis continget facta minoris,
Cinget honoratam brevior nec laurea frontem.
Sed fuge tu gladios, moneo, fuge cautus Iberi
Militis insidias: nam tristi saepe ruina
Imbelles fortuna premit contraria belli:
Et Mars carminibus nescit mansuescere vatum:
Saepe iacet media vates ignotus arena,
Non potis ipse sno cineri superaddere carmen:
Pierides illum Nymphae flevere sub antris
Et iuga Parnassi raucis gemuere querelis.
Nunc omnis belli studiis excita inventus
Arma parat, galeas et equos, tentoria, currus:
At tibi ne desit librorum magna bonorum
Copia; neve domi, dulcis solatia vitae,
Maeoniden, Flaccnm doctumve relinque Maronem!
Magna tibi veniet bello seu pace voluptas.
Magnum, crede mihi, capies solamen ab illis.
Rex Macedo nova quotidie cum bella moveret,
Illecto numquam somnum repetebat Homero:
Et Brutus Polybi secura mente legebat
Historiam, certns discriminis usque futuri:
Et Cato Romanis cnm iam diffideret armis,
Ad divina tamen confugit scripta Platonis;
Qnae relegens casus cum se firmasset in omnes,
Egregia praesens vitavit morte periclum.
Iam decus hoc nobis qni regni in sede reliquit,
Nobilium pueros virtutem artesque doceri
Instituit, iunctis vis esset ut insita maior
Consiliis. Aliena movent exempla, legendo
Quae quisque in patria vivens, quae gesserit extra;
Quosque pares laudum meritis accepit honores.

Multa quoque et veterum belli praecepta gerendi
Utiliter sapiens ad nostros transferet usus.
Nonne vides quanto meliores protulit aetas
Nostra viros, ex quo mediis sapientia castris
Coepta coli studiumque librorum miscuit armis
Miles, ut insidias astutus vertat in hostem,
Ut, quoties opus est, in aperta pericula currat?
Sunt tamen et qui non dubitent contendere vulgo,
Doctrina molles animos et corpora reddi;
Indoctos, quibus ingenium est agreste ferumque,
Acrius irasci et tractare ferocius arma.
Ut quem lactantis deprensum forte leaenae
Venator catulum docuit iam tempore longo
Imperio parere manumque subire magistri,
Non possis aequare animis et viribus illi,
Quem mater pavit furtis et caede ferarum
Montibus in Libycis. Sed enim mens optima longe
Pars hominis, qua fretus, inermi corpore cum sit
Invalidoque, tamen late dominatur et unus
Cuncta regit toto quae sunt animantia mundo
Et viget ingenium per se sine viribus, expers
Consilii vis mole sua ruit et male perdit
Incautos, ut aper recto in venabula cursu
Fertur et obiectum capit intra viscera ferrum,
Laevus quod poterat nullo vitare labore.
Adde quod adversis animus nec frangitur ullis
Casibus et quamvis superato corpore, quamvis
Obstricto, tamen invictus liberque manebit.
Idcirco quoties ex una parte fuere
Vires, consilium ex alia; plerumque revicta est
Pars, quae fulta suo fidebat robore tantum.
Ast ea iuncta duo quo non pervadere possunt?

Ut navis bene firma bono ducente magistro
Spernit et Ionios fluctus et Iapyga ventum;
Amisso rectore diu iactata per undas
Tandem illisa vadis scopulove impacta fatiscit.
Ergo dux neqne fortis erit, neque miles honoris
Veri sat cupidus, cui non sit nota vetustas.
Et quibus in caelum meritis ascendere magnus
Alcides potuit? Quae vis ea tanta, quid artis
Consiliive fuit, victrix ut Graecia parva
Exiguaqne manu totum pervaderet orbem?
Quid tantum Graecus, quid tantum Barbarus hostis
Fulgentes aquilas Romana tremisceret arma?
Quod si praesidiis sine talibus, absque magistro,
Hanc alicui mentem dederit natura vel usus;
Sponte sua prudens loca possit idonea castris
Deligere et structas acies producere vallo,
Expugnare urbes, patriae defendere muros,
Omne ducis demum generosi munus obire,
Eximium hunc par est et amicum credere Divis:
Pauci adeo potuere. Sed iidem fortius illi
Bella gerant, pulchras iunxissent Palladis artes.
Iratum viden' ut faciat Martemque furentem
Maeonides; contra sedata mente Minervam?
Ambos praestantes animis: verum tamen illum
Expertem rationis, euntem more ferarum
Ad pugnam: huic tristes sapientia temperat iras.
Hanc nostram vates expressit imagine vitam.
Doctus ab indocto tantum differre putatur,
Quantum distat homo brutis; spirantia quantum
Stipitibus duris et marmore. Dic age formam
Tu Niobes malis, an quam mutata figuram
Accepit lapidis? Malis immunda luto sus

Versari, ut quondam sociis evenit Ulyssi,
An proprium retinere decus formamque virilem?
Credo illud Gryllo aut Epicuro posse probari,
Non tibi, qui vafri sensus imitaris Ulyssi;
Non mihi, Palladia qui tam delector oliva,
Ut iubeam quercus apioque valere coronas.

Epist. Lib. IV. p. 228 sq.

Ad Musas.

Musae, quas primis *) colui devotus ab annis,
Vestra minus vester si nunc ad templa sacerdos
Ingredior, si vota minus solennia reddo,
Ne me ideo, ne me ingratum vitaeque prioris
Oblitum quaesisse novos credatis amores.
Quos etenim potius sequar hac aetate, quibusve
Incipiam tam sero aliis servire magistris?
Vos hilarare senem, vos pressos pondere rerum
Curarumque animos solae recreare potestis.
Quid causae est igitur? Post Maias scilicet Idus
Nos habet aurata respublica compede vinctos:
Cui minime parere nefas eiusque parenti.
Ad me si iubeam, vestro non usque pudori
Conveniat vestrisque negetis moribus aptum.
Vos fora, vos coetus fugitis, vos splendida regum
Atria: vos nemora et silvas, quo nemo recurrit
Interpellator, praefertis honoribus aulae,
Contentae facilem numeris includere versum.
Id me si prohibent immensa negotia, tempus
Nec datur exacte scribendi temporis ullum:

*) Ed. Amstelod. vitiose *primus*.

Unum oro, nobis unum concedite, Musae,
Et legere et praebere aliis recitantibus aurem,
Unde labor nullus veniet, mora nulla gerendis
Rebus erit: melior mens ipsa quiete futura est,
Acrior et positis repetet mox seria ludis.
Ut quondam multas certando athleta coronas
Promeritus, tamen invalido nunc corpore quamvis,
Ludentes alios medio spectare theatro
Gaudet et antiqui laetatur imagine ludi;
Sic ego, quam neqneo nostris e rebus, ut ante,
Ferre voluptatem, capiam haud fortasse minorem
Scripta etiam peiora meis aliena legendo.

Epist. Lib. IV. p. 229 sq.

Ad P. Victorium.

Victori, tanto pro munere quas tibi grates
Solvam non habeo, nec quae tibi mutua reddam
Munera; namque meis nil tale innascitur *) hortis:
Nulla pares nobis refernnt pomaria fructus.
Et quis dignum aliquid te rhetor, sive poëta
Dicere quid possit, recitare aut scribere dignum
Aure tua, puroque tuo quo tempora nostra
Iudicio superas? usu studioque politus
Scriptorum assiduo veterum, numerandus in illis.
Non tua, Victori, sine causa scripta teruntur
Doctorum manibus, quia vertit Graeca Latine
Commodius nemo: veros interprete sensus
Non alio assequitur melius studiosa iuventns.
Nec te pulchra suum legit Florentia civem

---

*) Ed. Paris. 1585. *renascitur.*

Nequidquam, natos cui traderet ante regendos
Moribus et studiis, quam munera digna capessant
Ulla viris ausintque fore tentare laborem:
Nec tanti faciat sapiens te Cosmus Etrusci
Regnator maris atque soli, nisi plurima nosset
Ingeniique tui bona maxima. Verum ego demens
Colligo tam notis qui laudibus undique testes;
Admoveoque faces nocturnaque lumina soli.
Haec satis absentis poterant incendere mentem
Vel studio vel amore tui; sed nuper et istinc
Dalbenas rediens nostrum nimis auxit amorem,
Dum mihi te moresque tuos, ut pictor, aperta
Exprimit in tabula, dum te facit urbe docentem
Nobilium primos, non haec quae pervia tradunt
Grammatici pueris, verum quibus artibus olim
Consiliisque regant populos, quae verba movere
Acrius aut motas possint compescere mentes.
Nunc te rure tuo spatiantem ponit in umbra,
Captantem liquidi vel murmur amabile fontis,
Cum natis parvisque nepotibus, haud sine libris
Et calamo et charta. Solus tu vivere nosti,
Solus, Victori, magnos contemnere reges,
Insanique fori strepitus turpemque repulsam
Plebis et oblatos indignis semper honores.
O, mihi si redeat, quae tum fuit illa iuventa,
Cum per vestra petens Romam vestigia feci
Oppida: si nunc ille foret mihi pristinus ardor,
Et neque distineat firma respublica vinctum
Compede, iam vexata diu civilibus armis:
O, si composita nobis Deus otia pace,
Urbibus antiquum si reddat agrisque decorem,
Quam nihil ista morer, quae nos dulcedine tardant,

Saepe sua retinentque domi properare volentes.
Quin Rhodanum celerem transmittam Alpesque nivales
Ocius: Insubrumque inter sata laeta fluentem
Eridanum et vacuae subeuntem stagna Ravennae.
Nec finem faciam, donec viridantis ad Arni
Flumina deveniam fundataque moenia Francis
Regibus et veteri coniunctam foedere gentem.
Quaeram ibi, quae regio, qui te locus accipit urbis;
Si te non habet urbs et quae via ducit in agrum,
Et veniam quocunque locorum, ut laetus apud te,
Sive domi es, seu rure, aliave in sede*, quiescam.

Carm. Miscell. p. 425.

De Imaguncula Aristotelis Hospitalii vultum referente.

Dicor Aristoteli similis tantique referre
  Os, studia et mores ingeniumque viri.
Hunc oculis fucum nostri fecere poëtae,
  Queis licet arbitrio fingere quaeque suo.
At me qui novit penitus, nil illius in me
  Praeter cana videt tempora, laeve caput.

Danielis Heinsii *)

Epitaphium I.
in Iosephum Scaligerum **).

Regius a Brenni deductus sanguine sanguis,
  Qui dominos rerum tot numerabat avos,
Cui nihil indulsit sors, nil natura negavit,
  Et iure imperii conditor ipse sui,
Invidiae scopulus, sed caelo proximus ipsi,
  Illa Iuliades conditur, hospes, humo.
Centum illic proavos et centum pone triumphos,
  Sceptraque Veronae sceptrigerosque deos,
Mastinosque Canesque et totam ab origine gentem,
  Et quae praeterea non bene nota latent;
Illic stent Aquilae priscique insignia regni,
  Et ter Caesareo munere fulta domus:
Plus tamen invenies quicquid sibi contulit ipse
  Et minimum tantae nobilitatis eget.
Aspice tot linguas totumque in pectore mundum!
  Innumeras gentes continet ille locus.
Crede illic Arabas desertaque nomina, Poenos,
  Et crede Armenios Aethiopasque tegi,
Terrarum instar habes: et quam Natura negavit
  Laudem uni populo, contigit illa viro.

---

*) Gandaviensis, nat. a. 1580 mense Maio. Ob. d. 25. Febr. 1655.

**) Vid. Dan. Heinsii Poëmata. Lugd. Bat. 1640. 12. p. 60.

Epitaphium II.

Invidiae domitor, monstrorum interitus, in quo
Improbitas vires fregit et ira suas,
Tanto animis maior, quanto crudelior hostis
Verteret in sacrum tela cruenta caput;
Dis genitus, Divis nunc redditus, hic iacet, hospes,
Iuliades, quantum claudere terra solet.
Occidit et saevus Troiae populator Achilles,
Hectoreos cineres Ilia clausit humus.
Clausit et Aiacem Rhoetei in littore ponti:
Exuvias ingens Herculis Oeta tulit.
Iuliadem tantis aequalem heroibus, aequa
Nominibus tantis terra Batava tegit.
Virtutem ne quaere, hospes; pater orbis uterque:
Non alio virtus clauditur ulla loco.
Caelum animis, orbem heroes virtutibus implent.
Quod superest, tellus quaelibet apta tenet.
Mausolea tegunt priscos insignia reges,
Unde illi generis gloria prima venit.
Regibus hoc satis est. Toto iacet altior orbe,
Qui propriis totam laudibus implet humum.

Hugonis Grotii *).

De Patria **).

Quae te digna canam, sanctum et venerabile nomen,
Patria? vincis enim laudum fastigia, totos
Virtutum complexa choros: tibi copia fundit
Ruris opes orbesque novos trans aequora pandit
Arcano natura sinu. Miramur olivae
Munera victrices inter tibi serpere laurus:
Tu decus armorum, tu pignora certa triumphi
Nassavios sortita duces: hinc aurea mala
Hesperidumque hortos tibi mystica tradit Eleusis.
Sic Latium sua pila dedit, sed iuncta manipulo,
Imposuit cui sancta parens concordia nexus.
Stat virtus comes et superi stat conscia mundi
Relligio, non quae ritu bacchato profano,
Simplice sed cultu caeli meritura favorem.
Te quoque venturos audax irrumpere casus
Tarda gradu sequitur prudentia tutaque bello,
Sed belli secura quies, reverentia casti
Iuris et alma Fides et quanquam augusta Potestas
Blanda tamen, tua tota cohors. Gensne ulla reperta est,

---

*) Delphensis, nat. d. 10. April. a. 1583; def. Rostochii d. 18. Aug. a. 1645.

**) Vid. Hug. Grotii Poëmata omnia. Ed. IV. Lugd. Bat. 1645. 12. Farrag. Lib. I. p. 180.

Quae victos servire vetet? Tu legibus aequas
Quos superas bello regnataque pectora donas
Iure sui. Pars prima boni, quo nascimur omnes,
Libertas, et in hoste placet. Constantia magni
Quanta animi, quod te nimium non prospera tollunt,
Non adversa premunt: quod maior clade resurgis,
Cum fatis saevire vacat? viret ardua qualis
Palma sub irriguam Iordanis consita ripam,
Pondera felices multum torquentia ramos
Indignata sequi. Veteres tibi reddit Athenas
Ingeniis redivivus honos: non ulla tot artes
Praestat humus: nosterque fidem tibi sacrat Apollo.

Ad Rudolphum Imp.

florum picturae dedicatio *).

Non tibi Mars tantum favet, invictissime ductor,
Quem toties hostem barbara signa tremunt:
Plebs quoque te Superum donis veneratur et illud
A Zephyri munus coniuge, Caesar, habes.
Ver dea perpetuum Batavo praescripsit Apelli
Prataque pictrici vivere iussa manu.
Annuus Alcinoi decor est et Adonidos hortis,
Nec Pharias animat longior aura rosas.
Prisca Semiramios iactat Pomona labores:
Alta tamen tecti culmina scandit hiems.
Quo tibi fluxus honos? Augustum serta triumphum,
In quae temporibus nil licet, ista decent.

*) Epigr. Lib. I. p. 236.

In librum suum de moribus Atheniensium, Romanorum, Batavorum *).

Martia gens semper Batavum, nec inhospita Musis,
Et cui compertum nil prius esse fide,
Scribimus hic mores, quibus ipsas vincis Athenas,
Et tibi se cupiat Dardana Roma parem.
Vos urbis dominae socios fratresque Quiritum,
Et libertati pectora sacra colo:
Fraenator pelagi populus, spes una Philippi
Et metus, Europae lumen et orbis amor:
Ultima Taprobane quem iam veneratur et Indi:
Cui socias regum dextera nectit opes:
Sacra tibi, genioque tuo gentique Batavum
Haec fero: tu felix ad mea vota veni!
Si quid id est, Batavi Batavo celebrantur honores
Et sum materiae pars quotacunque meae.
Civilem Batavi vestrumque legetis Erasmum:
Vester hic ingenio maximus, ille manu:
Atque alios, quibus aut victorum praemia laurus
Aut ederae rutilas implicuere comas.
Patria da veniam, quod non numeramur in illis,
Qui poterunt nomen ferre sub astra tuum.
Mars mihi displicuit: Musae placuere: sibique
Hoc levis angustum gloria fecit iter.
Est tamen, est aliquid fungi bene munere civis,
Quaque datur patriae nolle deesse suae.
Testor Arausiadae cineres Natique labores,
Qui tumidas Mosae iam tibi subdit aquas,
Quod potui fecisse solique altricis honorem.

*) Epigr. Lib. I. p. 241.

Officio nunquam destituisse meo.
Non ego doctrinae, non duro Marte probati
Roboris exemplum, sed pietatis ero.

In obitum Iusti Lipsii *).

Hoc quoque fer totum, sed tristis fama per orbem:
Ille diu plausus deliciaeque tuae,
Quem populis unum cunctis narrare solebas,
Occidit, et tantum vivit in ore tuo.
Omnis ad exsequias, qua sol oriturque caditque,
Hoc est, qua legitur Lipsius, orbis eat.
Praecipue aspicies domini cum Tibridis arces,
Fac septem resonet vox lacrimosa iugis:
Lipsius occubuit, cui quantum defuit aevi,
Tantum nescitur, maxima Roma, tui.

Richemont **).

In Ricemontano iam iam moritura cubili
His adiit verbis Elisabetha Deum:
Haeredi moresque suos mentemque relinque:
Fortunam atque annos da, pater alme, meos!

Breda victa ***).

Aspicis Iliacam (quid enim discriminis?) arcem.
Nonne vides? Laxat claustra virosque Sinon.
Prima Neoptolemi fuit haec victoria nostri:
Pelide maior mox erit ille suo.

---

*) Epigr. Lib. I. p. 250.

**) Epigr. Lib. II. p. 270.

***) Ibid. p. 288.

Eadem *).

Arx Bredae munita satis; sed causa tenenti,
  Quae mnnimentis fortior una, deest.
Quid iuvat excubiis non recte parta tueri?
  Pro iustis dominis excubat ipse Deus.

Casparis Barlaei **).

Elegia XV.

O r a t i o

matris Iudaicae, crudeli supplicio una cum filiis
septem snb Antiocho exstinctae.

Stabat et excoctas mater Iudaea favillas
  Dum videt, et natis busta parata snis,
Talibus immitem dictis fuit ulta tyrannum
  Suppliciumque snum leniit ore dolor.
Qnid furis et nostris acuis cruciatibus ignes?
  Barbaricasque fera protrahis arte neces?
Haec patiar pro lege libens. Non flamma, nec ensis
  Me poterunt Domino surripuisse meo.
Ure! pium flammae rabies accendit amorem.
  Ure! Denm noster fortius ignis amat.

---

*) Ibid.

**) Antverpiani, nat. a. 1584; def. Amstelodami a. 1648.

Ure! sacrosanctas subdunt incendia flammas.
Ure! sacer diro crescit ab igne calor.
Iam miserae licet esse mihi, licet esse beatae;
Et subeunt animo morsque salusque meo.
Huc tua iussa vocant; alio mandata Tonantis;
Et dispar voto rexque Densque suo est.
Obsequor Antiocho: flammas minitabitur aether.
Obsequor huic: flammas, rex truculente, paras.
Obsequor Antiocho: patriae sum transfuga legis.
Obsequor huic: misere dilacerata trahor.
Libera si reddar, Iudaeis perfida credar;
Libera si non sum, iam rea facta secor.
Suadet amor vitae vitium: dissnadet honesti.
Ira ducis terret, sed magis ira Dei.
Plus Superum potuere minae. Cape, magne creator,
Obsequio tantum dedita membra tuo!
Corpora, quae lacerat lictor, tu tota creasti;
Reddimus haec eadem iam mutilata tibi.
Cum nihil ipsa forem, fecit tua dextra quod essem;
Colliget haec artus post mea fata meos.
Impietas, discinde manum: mihi secula reddent
Altera; nec flammis desinet esse tuis.
Scinde pedes! citius cunctos penetrabimus orbes.
Dum miseram prohibes ire, volare facis.
Exime, quae Snperum cecinit praeconia, linguam!
Accinet auctori mox rediviva suo.
Exue me proprio nudatam tergore matrem!
Hac iterum caeli filia pelle tegar.
Frustatim laniasse iuvat: sed tota resurgam,
Tota loquar sceleri verba severa tuo.
Hos mihi relligio reddet servata triumphos,
Et vitam pietas intemerata dabit.

Vos quoque, vos septem nostro de sanguine nati,
  Respuite invisas, pignora cara, dapes!
Displiceant epulae, quae displicuere Tonanti,
  Nec violet patrum iussa priora nepos.
Non ego peccantes infartaque viscera porca,
  Aut rea flagitii nomina mater amem.
Plus ego discerptos mater venerabor; et ille,
  Regia qui fugit crimina, natus erit.
Ah, miseros iam flamma coquit. Miserere, tyranne,
  Redde meos; sobolem, rex, mihi redde meam!
Reddere, rex, noli; rursum mea vota retracto:
  Et pia quod genitrix nolo, miserta volo.
Ambiguis luctatur amor pietasque querelis,
  Ille dolens sobolem diligit, illa Deum.
Ite, mei partus; medios descendite in ignes,
  Septemplex Domino victima caesa cadet.
Sic decet Isacidum veros periisse nepotes;
  Qui renuet, stirpi degener ille suae est.
Vos mea, vos eadem nascentes edidit alvus,
  Et mater vitae munera prima dedi.
Nunc eadem cunctis facta est farrago sepulcrum;
  Unaque victuros concoquit urna viros.
Una dies iterum caelo vos reddet et astris:
  Et decor eximiis fratribus unus erit.
Non lacrimor, maiora malis quia gaudia restant;
  Elidunt gemitus spesque fidesque meos.
Non lacrimor, quia vestra sequar vestigia mater.
  Me quoque sors poscit, quae modo vestra fuit.
Quae patiar, scindar, coquar, urar, sola supersum.
  Heu, quam martyrii sera corona mei est!

Rotterodamum.

Inclyta veliferus pulsat mea moenia Mosa,
  Parte alia placidis Rottera lambit aquis.
Occiduum late commercia porto per orbem,
  Gallia quas poscit, quasque Britannus opes.
Hic meus Ausonii vindex sermonis Erasmus
  Vagiit et cunis abdidit ora suis.
Maeoniden iactet Colophon, Verona Catullum,
  Sufficit ad laudes hunc genuisse meas.
Nunc tantum fragili veneror sub marmore numen,
  Dum silet in medio lingua diserta foro.
Quem genui, Basilea tegit, Sapientia fatis
  Eximit et cineri vult superesse suo.
Me timet Hispanus, timuit grex barbarus ipsum:
  Ille meis victus classibus, hic calamo.

In effigiem

Maximiliani

Serenissimi Ducis Bavariae etc. *).

Quisquis in imperio leges, in legibus aequum
  Asseris, et cives moribus ipse facis,
Suspice, quem spectas, Bavarum! Tot nomina recti,
  Tot virtutum apices Maxmilianus habet.
Irradiat priscos maiorum gloria fasces.

---

*) Hoc carmen, quod exstat in Casp. Barlaei Poëmatum Part. II. p. 530. Francof. et Lips. 1689. 8., memoratur ab ipso auctore in epistola 467 ad Baldeum scripta (vid. Barlaei Epistolarum lib. Tom. II. p. 910); repetita in Herderi *sämmtlichen Werken. Zur schönen Literatur und Kunst.* Tom. XIV. p. 384.

Qui se iure ducem, plus ratione probat.
Praelucet titulis pietas regumque coronas,
Sceptraque coniugiis miscet avita suis.
Bella gerit gladiumque aquilis impendit et Istro,
Dum grave momentum Caesaris esse putat.
Et tamen haec pacis studiis se bella tubasque
Tradere, si posset, vellet imago loqui.

In luculentissimos poëmatum libros
Clarissimi Viri
Iacobi Balde
praesertim, quibus pacis vota ingerit *).

Nil reges, nil sceptra moror, Baldaee, ducumque
Nomina, vel si quid grandius orbis habet.
Cedant Caesareae solis iam vatibus aulae.
Imperium nullo fine poëta tenet.
Caesare plus, plus rege sumus; plus possumus illis:
Regna Camenarum plus spatiosa puto.
Tu ducibus maiora facis. Tu fortior exis,
Latius ingenio liberiore ruis.
Per terras caelique domos, per cuncta vagaris:

---

*) Hoc poëma elegantissimum adhaeret Iacobi Baldei Opp. Tom. I. p. 670 sq. ed. Colon. Ubiorum 1660. 12. Recusum est in ed. Colon. a. 1706. 12. p. 670 sq., in Monac. a. 1729. 8. T. I. et Orelliana Baldei Carm. selectt. Turici, 1805. Pag. XXIX. Ceterum conf. Barlaei Epistolar. Lib. Part II. p. 910 sq.

V. 7. *maiora*] Ed. Monac. Baldei operum supra cit. male habet *maioris*. Pro *fortior* ap. Orell. legitur *fortiter*.

V. 8—9 in edit. Mon. exciderunt.

Et vario passim carmine rector ovas.
Iam tibi materies Roma est et sacra tuorum;
Vitaque non uno relligiosa modo:
Tot Sancti pietate graves, et quicquid Olympi est;
Quicquid adorandi suspicit ora Dei.
Iam tibi fallacis sordent ludibria mundi,
Humanique iacet scena superba fori.
Et, te teste, nihil sumus, et vanissima rerum
Portio, et aeterni vix levis umbra boni.
Sceptra, Deum, mitras loqueris, silvasque lacusque,
Sidera: nec, vatum vox, Philomela silet.
Iam Batavus venit in carmen, nunc Itala virtus:
Dicitur et numeris Austria digna tuis.
Pontificum tibi debet apex, Tiberinaque multum
Pilea. Tanta facis numina lege loqui.
Truditur in Cirrham Mavors, Bellona poëtam
Induit, et rabiem mitigat arte suam.
Bella gerunt tot regna; tuo sed carmine pax est:
Et veteres regum se posuere minae.
Memmius ingentes orando mitigat iras:
Et labor augustos occupat iste Deos.
In tabulis, Baldaee, tuis cessere tumultus,
Articulosque tuo iure, poëta, taces.
Colligit unanimes lenis facundia fasces:
Quosque ligat, Phoebo non renuente, ligat
Et matrum damnat lacrimas et flebile bellum,
Et voto pacem prosperiore iuvat.

V. 12 *relligiosa*] *religiosa* Orell.

V. 27 *carmine*] Orell. perperam *in carmine.*

V. 32 *taces*] *tenes* Orell.

Omnia sic flectit vates et praesidet orbi,
  Et loquitur nunquam iussus ad ista loqui.
Extorquet manibus gladios, tormenta, secures,
  Mansuetosque suis imperat esse duces.
Et facit hoc, nulli gravis ad consulta Cherusco;
  Et facit hoc, cum se possidet ipse domi.
Et facit hoc, nullis vectus per rura quadrigis;
  Et facit hoc, nullae cum sonuere tubae.
Pugnatum satis, o reges! Desuescite bella!
  Perfidus in falces ensis et ultor eat.
Victoris sit praeda sui. Sic parta tenete!
  Sit satis hac omnes conditione frui.
Si, Baldaee, tibi, si se mihi crederet orbis,
  Iuro fidem, hoc uno pax foret articulo.

Ioannis Owen *).

Epigrammatum Liber I.

XXI.

In quendam pauperem medicum.

Qui modo venisti nostram mendicus in urbem,
  Paulum mutato nomine fis medicus.

---

*) Angli, nat. Armoni in comitatu Arvoniensi a. 1590. Diem supremum obiit Londini a. 1622.

Pharmaca das aegroto; aurum tibi porrigit aeger,
Tu morbum curas illius; ille tuum.

XXIX.

Optativus modus.

Infinitivo prope par modus optativus:
Optandi finem nam sibi nemo facit.

XLIV.

In Paulinum medicum.

Cur patiens, Pauline, tuus tibi dicitur aeger?
Impatiens morbi sit licet atque tui.
Te quoniam patitur, patiens tuus ergo vocatur;
Nam plus, quam morbus, torquet eum medicus.

XLVIII.

Ad Philopatrum.

Pro patria sit dulce mori licet atque decorum;
Vivere pro patria dulcius esse puto.

LVI.

Ad Marcum luscum.

Unus, Marce, deest oculus tibi; sufficit unus:
Plura vident oculi, non meliora, duo.
Sunt mihi binae aures: tamen his nil audio veri:
Bini oculi: video nil tamen hisce boni.

LXXIII.

Ad calvum.

Arboribus redeunt crines et gramina campis:
At capiti frondes non rediere tuo.

XC.

In fucatas.

Quae pictas geritis facies, vos iure potestis
  Dicere cum Flacco: Pulvis et umbra sumus.

CII.

Cliens.

Cantabunt reduces coram latrone clientes:
  Semper enim vacuus currit ab urbe cliens.

CXVIII.

Mars, Mors.

Bella famem pestemque fames mortalibus affert;
  Est igitur Bellum peius utroque malum.
O mega nostrorum Mors est, Mars Alpha malorum:
  In bello distant O mega et Alpha parum.

CLXX.

De se ipso.

Qui petit, accipiet, Iacobus Apostolus inquit;
  O si Iacobus Rex mihi dicat idem!

Epigrammatum Liber II.

LVIII.

Gordius nodus.

Quem solvit rex ense suo, magis estne solutus
  Ingenio nodus Gordius, an gladio?
Ingenio nodum potes hunc dissolvere nullo:
  Sed nec Alexander scinderet ense suo.

CXI.

In I. S. avarum.

Ferrea cista auri custos tibi; ferrea porta;
Ferrea tota domus: ferreus est dominus.

CLVI.

Plato.

Quae primum in labris pueri sedere Platonis,
In libris resident usque Platonis apes.

CLIX.

Tacitus.

Veracem fecit probitas, natura sagacem;
Obscurum brevitas te, gravitasque brevem.

CLX.

Ad Martialem.

Dicere de rebus, personis parcere nosti:
Sunt sine felle tui, non sine melle, sales.

CCXI.

Lyra.

In tam diversis cum sit concordia chordis,
Tam discors hominum non pudet esse genus?

Epigrammatum Lib. III.

XXVIII.

Miseria vitae.

Vivere quisque diu, quamvis et egenus et aeger,
Optat, id est, miserum se cupit esse diu.

Invitus moritur miser et miserabilis Irus,
Hoc est, invitus desinit esse miser.

CLX.

Respice finem.

Respice principium potius, sed prospice finem,
Caelum suspiciens, despiciensque solum.

CXCII.

H o m o.

Plorabas, cum natus eras; fuit ergo voluptas
Nulla tibi nasci; cur dolet ergo mori?

Epigrammatum Liber unus.

LXVII.

Praestat dare, quam accipere.

Accipere humanum est; inopi donare Deorum:
Nunquam tam paucos credo fuisse Deos.

LXXV.

Ulysses et Penelope.

Mors nobis, velut uxori surrepsit Ulysses.
Vivimus, ut telam texuit illa suam.

CI.

Eclipsis animae.

Ut Solem Tellus Lunamque stat inter opacam;
Stat peccatum inter meque Deumque meum.

CX.

Quadratura Circuli.

Ad Iosephum Scaligerum.

Quadratura quid est circi? Divisio mundi
Quatuor in partes, qui prius unus erat.

CXIII.

Ad Iacobum Regem.

O quanta exempli generoso in principe vis est;
Tu vitando vetas, tu faciendo iubes.
Princeps principium motus; rex regula vitae:
Circumfert caelum sidera; rex populum.

CXIV.

Caput et corpus.

Ad eundem.

In capite est ratio et rationis quinque ministri:
Divinum in reliquo corpore paene nihil.

CCXLIII.

Fama, Error.

Rumor rumores, errores parturit error,
Ut nivis exiguus crescit eundo globus.

CCLXIV.

Ultima linea.

Ultimus est vitae mors actus amara iocosae:
Cuius vita fuit seria, mors iocus est.

Matthiae Casimiri Sarbievii *),

Societatis Iesu,

Carmina selecta.

Lyr. Lib. I. Ode I.

Ad Urbanum VIII. Pontificem Max.

Cum infestae Thracum copiae Pannonia excessissent.

Iam minae saevi cecidere belli:
Iam profanatis male pulsa terris
Et Salus, et Pax niveis revisit
Oppida bigis.
Iam Fides et Fas, et amoena praeter
Faustitas laeto volat arva curru:
Iam fluunt passim pretiosa largis
Secula rivis.
Candidi soles, veterisque venae
Fontibus nati revocantur anni:
Grandinat gemmis, riguoque caelum
Depluit auro.
Meque veraci cecinisse plectro
Inter Octobres, tua festa, pompas,
Prisca Saturni rediisse secla,
Approbat orbis.

---

*) (Sarbiewski,) Poloni, nat. a. 1595; def. Varsoviae anno 1640 d. 2. April., aetat. 45 nondum peracto.

Aurei patrum niveique mores,
Exul et sera procul usque Thule
Candor et pulchro remeare Virtus
Audet Olympo.

Lactis et fusi per aprica mellis
Garruli campos secuere rivi,
Et superfuso tumuere plenae
Nectare ripae.

Laetior vulgo seges inquietis
Fluctuat culmis, titubantque frugum
Uberes campi, nec avara sulcis
Invidet Aestas.

Pastor errantes comitatus hoedos
Provocat raucas calamo cicadas:
Mugiunt colles et anhela fessis
Silva iuvencis.

Pace subsultant iuga, pace rident
Tetricae rupes: leve separatos
Otium colles amat et sequestri
Gaudia pagi.

Te Ceres flavis redimita culmis,
Magne pacati moderator orbis,
Te suis Aestas opulenta circum-
fundit aristis.

Supplici myrtus tibi servit umbra,
Serviunt lauri: tibi celsa longe
Quercus assurgit, tremuloque pinus
Vertice nutat.

Siderum praeses, dominusque terrae,
Lucida Romam speculatus arce,
Regna tranquillet, cupidoque patrem
Te velit orbi.

Laurus annosum tibi signet aevum:
Fata te norint, properentque Parcae
Nescium carpi tibi destinatos
Stamen in annos.
Quaeque formosos sedet inter ignes,
Sedulam pro te miserata Romam
Virgo, quam circum glomerantur albis
Astra choreis,
Curet effusas Latii querelas:
Virginum castas iuvenumque voces
Curet et votis procerum reclinem ac-
commodet aurem.

Lyr. Lib. I. Ode II.

Ad Aurelium Lycum.

Ne plus aequo de adversa fortuna queratur.

Indignas, Lyce, naenias
Et maestum gemitu pectus et hispidis
Frontem nubibus expedi,
Cum Sol non solito lumine riserit
Et Fortuna volubilis
Fati difficilem iecerit aleam.
Quod vexant hodie Noti,
Cras lambent hilares aequor Etesiae.
Maestum Sol hodie caput,
Cras laetum roseo promet ab aequore.
Alterno redeunt choro
Risus et Gemitus et madidis prope
Sicci cum Lacrimis Ioci.
Nascuntur mediis Gaudia Luctibus.
Sic fatis placitum: suis
Tempestiva fluunt fata periculis.

Fessos duxit heri boves,
  Dat magnis hodie iura Quiritibus;
Et quae bobus ademerat
  Imposuit Gabiis et Curibus iuga.
Idem Phosphorus adspicit
  Magnum, quem tenuem viderat Hesperus.
Quod si seria ludicris
  Fortunae placeat texere, rusticus
Hesternam repetet casam
  Ridentis populi non humilis iocus;
Et queis rexerant omnia,
  Findet laurigeris ligna securibus;
Quod si defuerit salix
  Fasces pauperibus subiiciet focis.

Lyr. Lib. I. Ode III.

Ad Urbanum VIII.

Urbani VIII. laudes celebrat.

Urbane, regum maxime, maxime
Urbane vatum, Pegaseus tibi
  Temo volaturusque late
    Regna super populosque currus
Iam dudum apud me est. Eripe te solo:
Obliviosis eripe nubibus
  Nomenque laudesque! O Deorum
    Concilio, patrioque quondam
Promisse caelo! Te super inclyta
Terrarum et altas Acroceraunia
  Egressa nubes, te superni
    Colla super humerosque Pindi
Attollere alte, non sine numine,
Luctabor. Ibis, sub pedibus pigras

Urbes relicturusque gentes,
Attonitae novus hospes aurae,
Hac unde vasti litora Nerei,
Amnesque, camposque et iuga desuper
Arcesque mirari, et natantes
Oceano numerare terras
Coram licebit. Iam tibi barbarus
Circum supinis collibus annuit
Haemus, salutataque longe
Attremit Acrocorinthus aula.
Ter pronus Othrys, ter trepidae latus
Subsedit Ossae, ter Rhodope nives,
Sacrasque submisere lauros
Emathii capita alta Pindi,
Sacerque Phoebo Cynthus et aviae
Acuta Cyrrhae. Laurigeris tibi
Thyrsis coronatus Cithaeron,
Et patula nemorosa pinu
Pangaea gaudent brachia frondium
Longe tetendisse, et procul obvios
Currus adorare et volanti
Ardua supposuisse terga.
Hinc ire pompas, hinc tibi praepetes
Centum superbis ire curulibus,
Urbane, Musas, atque aperto
Ire sines tua facta caelo.
Auditis? an me ludit amabilis
Imago pompae? Iam videor pios
Audire plausus et frementes
Caeruleum per inane turmas.
Hinc et tepenti vectus ab Africo
Apum sonoro exercitus agmine

Leni ter Urbanum susurro,
Ter resonis fremuere pennis.
Ter vecta terris ac pelago super
Respondit Echo: ter lituis procul,
Sparsae ter Urbanum Camenae
Pindaricis cecinere plectris.
Audivit ingens Pontus et insulas
Erexit omnes: ilicet Africae
Plausere et Europes et una
Americes Asiaeque regna.
Laetaeque tandem, Currite secula,
Dixere Musae: currite candidis
Horae quadrigis: ite, magni
Secula deproperate Menses!
Dixere Musae: protinus aurea
Risere longum secula, secula
Auro laborata, et recuso
In pretium emicuere vultu.

Lyr. Lib. I. Ode IV.

Ad Crispum Laevinium.

Ne nimium adolescentiae fidat.

Vive iucundae metuens iuventae,
Crispe Laevini: fugiunt avarae
Mensium Lunae, nimiumque volvi
Lubricus aether.
Tu licet multo pretiosus auro
Gemmea vestem moderere zona
Et super collo Tyrias amicet
Fibula lanas:
Iure Phoenissis vaga penna cristis
Stare labenti dubitat galero:

Iure, quo fulges, timidum refigi
Palluit aurum.
Quod tibi larga dedit Hora dextra,
Hora furaci rapiet sinistra,
More fallentis tenerum iocose
Matris alumnum.
Mobiles rerum dubiique casus
Regna mortalis tenuere vitae:
Sedulus metae, properat fugacis
Impetus aevi.
Tardius ponto volat Adriano,
Quam ratem mersi pepulere remi,
Et repentinis animosa trudunt
Carbasa ventis.
Omnibus mundi Dominator Horis
Aptat urgendas per inane pennas:
Pars adhuc nido latet et futuros
Crescit in annos.

Lyr. Lib. I. Ode VII.

Ad Telephum Lycum.

Fortunae rerumque humanarum inconstantiam accusat.

Eheu, Telephe, ludimur:
Fortunae volucri ludimur impetu!
Aeternum nihil est, sacro
Quidquid lenta tulit materies sinu.
Statur casibus. Occidet
Quod surgit: sed adhuc surget et occidet
Ritu praecipitis pilae,
Quae cum pulsa cava reiicitur manu,

Nunc leves secat Africos,
  Nunc terrae refugis absilit ictibus.
Vesper vespere truditur:
  Sed nunc deterior, nunc melior subit.
Anni nubibus insident,
  Incertis equitant Lustra Favoniis,
Caeco Secula turbine.
  Haec, quam Pieria decipimus lyra,
Iuncto fulminis essedo,
  Eheu! quam celeres Hora quatit Notos!
Nec gratae strepitum lyrae,
  Nec curat miserae carmina tibiae:
Et quamquam canitur levis,
  Sese tota suis laudibus invidet.
Magnas interea rapit
  Urbesque et populos, et miserabili
Reges subruit impetu:
  Et sceptri decus et regna cadentium
Permiscet cineri ducum,
  Auratasque trabes et penetralia,
Et cives simul et super
  Eversis sepelit turribus oppida:
Ac mundi procul arduas
  Stragesque et cumulos ac procerum pyras
Festa nube supervolat;
  Stellarumque rotam et longa brevissimo
Cursu secula corripit.
  Dum nobis taciti diffugiunt Dies,
Eheu! Telephe, ludimur,
  Fatorum rapida ludimur orbita.
An nos fallimur? an suam
  Rerum pulcher habet vultus imaginem?

Et sunt quae, Lyce, cernimus?
An peccant fatuis lumina palpebris,
Et mendax oculi vitrum?
An longi trahitur fabula somnii?

Lyr. Lib. I. Ode XIX.

Ad caelestem adspirat patriam.

Urit me patriae decor:
Urit conspicuis pervigil ignibus
Stellati tholus aetheris;
Et lunae tenerum lumen et aureis
Fixae lampades atriis.
O noctis choreas et teretem sequi
Iuratae thyasum faces!
O pulcher patriae vultus et ignei
Dulces excubiae poli!
Cur me stelliferi luminis hospitem,
Cur, heu! cur nimium diu
Caelo sepositum cernitis exulem?
Hic canum mihi cespitem,
Hic albis tumulum sternite liliis,
Fulgentis pueri domus.
Hic leti pedicas exuor et meo
Secernor cineri cinis.
Hic lenti spolium ponite corporis,
Et quidquid superest mei:
Immensum reliquus tollor in aethera.

Lyr. Lib. II. Ode II.

Ad Publium Memmium.

Vitae humanae brevitatem benefactis extendendam esse.

Quae tegit canas modo bruma valles,
Sole vicinos iaculante montes
Detegit rursum. Tibi cum nivosae
Bruma senectae
In caput seris cecidit pruinis,
Decidet numquam. Cita fugit Aestas,
Fugit Autumnus: fugient propinqui
Tempora Veris.
At tibi frigus, capitique cani
Semper haerebunt: neque multa nardus,
Nec parum gratum repetita dement
Serta colorem.
Una quem nobis dederat Iuventus,
Una te nobis rapiet Senectus.
Sed potes, Publi, geminare magna
Secula fama.
Quem sui raptum gemuere cives,
Hic diu vixit. Sibi quisque Famam
Scribat heredem: rapiunt avarae
Cetera Lunae.

Lyr. Lib. II. Ode III.

Ad suam testudinem.

Sonora buxi filia sutilis,
Pendebis alta, barbite, populo,
Dum ridet aër et supinas
Sollicitat levis aura frondes.
Te sibilantis lenior halitus

Perflabit Euri: me iuvet interim
Collum reclinasse et virenti
Sic temere iacuisse ripa.
Eheu! serenum quae nebulae tegunt
Repente caelum! quis sonus imbrium!
Surgamus. Heu semper fugaci
Gaudia praeteritura passu!

Lyr. Lib. II. Ode V.

E rebus humanis excessus.

Humana linquo: tollite praepetem
Nubesque ventique! Ut mihi devii
Montes resedere! ut volanti
Regna procul populosque vastus
Subegit aër! Iam radiantia
Delubra Divum, iam mihi regiae
Turres recessere, et relictae in
Exiguum tenuantur urbes;
Totasque, qua se cumque ferunt vagae,
Despecto gentes. O lacrimabilis
Incerta fortunae! o fluentum
Principia interitusque rerum!
Hic ducta primis oppida moenibus
Minantur in caelum: hic veteres ruunt
Murique turresque: hic supinas
Paene cinis sepelivit arces.
Hic mite caelum: sed rapidae ruunt
In bella gentes: hic placida sedent
In pace; sed late quietos
Dira lues populatur agros.
Hic paene tellus tota micantibus
Ardet sub armis: stant acies adhuc

Pendente Fatorum sub ictu,
Et dubio Furor haesitavit
In bella passu. Parte alia recens
Iam mixta Mavors agmina mutuam
Collisit in mortem, et cadentum
Caede virum cumulisque latos
Insternit agros. Hic Mareoticae
Secura merces aequora navigant,
Portusque certatim frequentes
Centum operis populisque fervent.
Nec una Marti causa, nec unius
Sunt arma moris. Bellat adulterae
Ridentis e vultu voluptas,
Inque Helena procus ardet Orbis.
Hic verba bellis vindicat: hic canis,
Heu vile furtum! se mala comparant;
Rarum sub exemplo superbit,
Nec sceleris scelus instar omne est.
Eous illinc belligera latet
Sub classe pontus; iam Thetis aenea
Mugire flammarum procella, et
Attonitae trepidare cautes,
Et ipsa circum littora percuti
Maiore fluctu. Sistite, barbari;
Ferroque neu simplex et igni et
Naufragio geminate Fatum!
Parumne Tellus in miseras patet
Immensa mortes? hinc miserabili
Quassata terrarum tumultu
Stare pavent titubantque regna,
Unaque tandem funditus obruunt
Cives ruina. Stat tacitus cinis,

Cui serus inscribat viator:
CUM POPULO IACET HIC ET IPSO
CUM REGE REGNUM. Quid memorem super-
Infusa totis aequora portubus
Urbes inundare? et repenti
Tecta Deum sonuisse fluctu?
Regumque turres, et pelago casas
Iam iam latentes? Iam video procul
Mercesque differri et natantem
Oceano fluitare gazam.
Alterna rerum militat efficax
In damna mundus. Cladibus instruit,
Bellisque, rixisque et ruinis
Sanguineam Libitina scenam;
Suprema donec stelligerum dies
Claudat theatrum. Quid morer hactenus
Viator aurarum? et serenas
Sole domos aditurus, usque
Humana mirer? Tollite praepetem
Festina vatem: tollite, nubila,
Qua solis et lunae labores
Caeruleo vehit aethra campo.
Ludor? sequaces an subeunt latus
Feruntque venti? iamque iterum mihi
Et regna decrevere et immensae
Ante oculos periere gentes;
Suoque semper terrâ minor globo
Iam iamque cerni difficilis suum
Vanescit in punctum? O refusum
Numinis Oceanum! o carentem
Mortalitatis portubus insulam!
O clausa nullis marginibus freta!

Haurite anhelantem, et perenni
Sarbivium glomerate fluctu!

Lyr. Lib. II. Ode VII.

Ad Publium Memmium.

Esset humanis aliquod levamen
Cladibus, si res caderent eadem
Qua mora surgunt: sed humant repentes
Alta ruinae.
Nil diu felix stetit: inquieta
Urbium currunt hominumque Fata;
Totque vix horis iacuere, surgunt
Regna quot annis.
Casibus longum dedit ille tempus,
Qui diem regnis satis eruendis
Dixit: elato populos habent mo-
menta sub ictu.
Parce crudeles, moriture Publi,
Impio Divos onerare questu,
Densa vicinis nimium vagari
Funera tectis.
Quae tibi primum dedit hora nasci,
Haec mori primum dedit. Ille longum
Vixit, aeternum sibi qui merendo
Vindicat aevum.

Lyr. Lib. II. Ode VIII.

Ad Asterium.

At nos inani pascit imagine
Fortuna rerum. Ludimur, Asteri,
Umbris amicorum; et doloso
Verba simul placuere fuco.

Res esse stulti credimus: at simul
Sors infidelem corripuit rotam,
Gaudent recedenti sodales
Non eadem dare verba Divae.
Plerumque falsis nominibus placent
Humana. Rari pollicitis data
Aequamus: et minor loquaci
Religio solet esse voto.

Lyr. Lib. II. Ode XV.

Ad Narviam.

Cuius in ripa puer admodum primum carmen lyricum cecinerat.

Albis dormiit in rosis,
Liliisque iacens et violis Dies,
Primae cui potui vigil
Somnum Pieria rumpere barbito,
Curae dum vacuus puer
Formosi legerem littora Narviae.
Ex illo mihi posteri
Florent Sole dies: qui simul aureae
Infregit radios lyrae,
Iam nec scuta sonat, nec strepitum trucis
Gradivi, sed amabiles
Ruris delicias: sive rubentia
Udo rore rosaria,
Seu molles violas, sive volubilem
Leni flumine Viliam,
Seu primo graciles vere Favonios.
At tu, Narvia, quem puer,
Tum primum Calabra personui fide,
Ictu pectinis hoc habe

Incisum viridi carmen in ilice:
Quem Phoebus, citharae pater,
Quem laetae citharis Pierides amant,
Laetum barbita Narviam,
Laetum virginei semper ament chori.
Haec dum sponte virentia
Vivent in teneri vulnere corticis,
Addiscent pueri tibi,
Addiscent tacitae carmina virgines:
Festo mox eadem die,
Dum glebam solidae lucis et igneas
Electri lacrimas legent,
Partiti geminis litora coetibus,
Alternis pueri tibi,
Alternis recinent carmina virgines.

Lyr. Lib. II. Ode XVIII.

In D. Virginem Matrem

carmen seculare.

Parodia ex Q. Horatio Flacco.

Puerorum Chorus.

Reginam tenerae dicite Virgines
Visentem roseis astra iugalibus,
Dignatamque volantum
Currus flectere siderum.
Vos laetam citharis et sonitu lyrae,
Quem vel Pierii verbere pectinis
Fingit saucius aër,
Vel motae digito fides.

Puellarum Chorus.

Vos Marsae, Iuvenes, carmine tibiae,
Aut rauci strepitu dicite tympani,

Pugnarumve loquaci
Nympham reddite classico!

Uterque Chorus.

Caecos illa metus et procerum graves
Iras, e miserae limine patriae,
Vestris mota querelis,
Ad Medos aget et Getas.

Lyr. Lib. II. Ode XXVI.

Ad D. Virginem Matrem.

Cum fame, bello, caelique intemperie laboraret Polonia.

Aurei regina Maria caeli,
Moesiae valles, Hypanimque late
Nubium curru super et nivosis
Vise quadrigis!
Aureus tecum puer et coruscis
Aureae pennis properent catervae,
Et Salus, et Pax, et aperta pando
Copia cornu *).

Lyr. Lib. III. Ode IV.

Ad Egnatium Nollium.

Aequo semper rectoque animo adversus Fortunae inconstantiam standum esse.

Sive te molli vehet aura vento,
Sive non planis agitabit undis;
Vince Fortunam, dubiasque, Nolli,
Lude per artes!

---

*) Conf. Horat. Lib. I. Od. XXX.

Riserit? Vultum generosus aufer!
Fleverit? Dulci refer ora risu!
Solus et semper tuus esse quovis
Disce tumultu!
Ipse te clausam modereris urbem
Consul aut Caesar: quoties minantum
Turba Fatorum quatient serenam
Pectoris arcem.
Cum leves visent tua tecta casus,
Laetus occurres: praeeunte luctu,
Faustitas et Pax subeunt eosdem
Saepe penates.
Dextra sors omnis gerit hoc sinistrum,
Quod facit molles: habet hoc sinistra
Prosperum, quem nunc ferit, imminentes
Durat in ictus.
Ille qui longus fuit, esse magnus
Desinit moeror. Facilem ferendo
Finge Fortunam: levis esse longo
Discit ab usu.

Lyr. Lib. III. Ode XV.

Ad apes Barberinas,

Melleum venisse seculum.

Cives Hymetti, gratus Atticae lepos,
Virgineae volucres,
Flavaeque veris filiae,
Gratum fluentis turba praedatrix thymi,
Nectaris artifices,
Bonaeque ruris hospitae,
Laboriosis quid iuvat volatibus,
Crure tenus viridem

Perambulare patriam,
Si Barberino delicata Principe
Secula melle fluunt,
Parata vobis secula?

Lyr. Lib. III. Ode XXIII.

Ad Iulium Ariminum.

Solis animi bonis nos belluis praestare.

Non Hydaspeis, Arimine, gemmis,
Non domus flava laqueata cedro,
Aurei torrens neque te beatum
Fecerit Hermi.
Mitte sectari, quis amoena praeter
Prata non parco fluat amnis auro.
Sit satis Virtus, animosa sedes
Visere Divum.
Alter effultos adamante muros
Tollat, aut caesas Sipylo columnas,
Fossor inspecta Styge quas revulso
Subruat Orco.
Ditior silvis habitat Sabaeis
Ales Eois renovata bustis:
Ditior gemmis rutilo vagatur
Piscis Hydaspe.
Alter Eois variam lapillis
Subliget zona retinente pallam:
Alter insignes Tyrio lacertos
Vinciat ostro.
Gratius laeves variavit alas
Sparsa nativis Philomela guttis;
Pulchrius Thressae maculosa pingunt
Pectora lynces.

Tonsa nos vestit pecus, et luporum
Terga mentimur: neque flava vestem
Dedecet vulpes et abacta caeso
Castore pellis.
Una mortales numero ferarum
Eximit Virtus, volucerque notas
Siderum sedes animus solutis
Visere pennis.

Lyr. Lib. IV. Ode X.

Ad Q. Dellium.

Non tam populari exemplo, quam potius rationis ductu vitam esse instituendam.

Delli, si populo duce
Vitae degenerem carpimus orbitam,
Erramus; procul arduis
Virtus se nimium seposuit iugis.
Illuc quo via tritior,
Hoc est certa minus. Longus inutili
Error nectitur ordine:
Et mores populum, non ratio trahit.
Casu vivitur; et viam
Non metam premimus, qua praeeuntium
Per vestigia civium
Insanae strepitus plebis, et improbae
Voces invidiae vocant.
Exemplis trahimur, et trahimus retro:
Soli nemo sibi est malus.
Nulli vita sua est: dum vaga postero
Turbam turba premit gradu,
Sunt primi exitio saepe sequentibus.
Me Parnassus et integer

Plebeiis Helicon coetibus eripit
Sublimem: unde vagantium
Errores animorum et male desidis
Vulgi damna patent. Iuvat
Ex alto intrepidum colle iacentia
Despectare pericula et
Cautum non propriis vivere casibus.

Lyr. Lib. IV. Ode XIV.

Ad Crispum Laevinium.

Rogatus cur saepe per viam caneret, respondet.

Cum meam nullis humeros onustus
Sarcinis tecum patriam reviso
Laetus et parvo mihi cumque dives
Canto viator;
Tu siles maestum: tibi cura Musas
Demit, et multi grave pondus auri,
Quaeque te quondam male fida rerum
Turba relinquet.
Dives est qui nil habet, illa tantum,
Quae potest certa retinere dextra,
Seque fert secum, vaga quo migrare
Iussit egestas.
Quid mihi, qui nil cupiam, deesse
Possit? Umbrosi placet una Pindi
Vallis. O sacrum nemus! o iocosae
Rura Camenae!
Quae meos poscet via cumque gressus,
Delphici mecum, mea regna, colles,
Itis et fessum comitante circum-
sistitis umbra.
Me Gothus saevis religet catenis,

Me Scythes captum rapiat, soluta
Mente vobiscum potero tremendos
Visere Reges.

Lyr. Lib. IV. Ode XVII.

Ad Violam.

Calendis Maii quotannis pueri Iesu caput coronaturus.

Aurora veris, punicei recens
Regina campi, cinge mei, precor,
Frontem puelli! Cur sub auro
Parvulus heu! gravibusque gemmis,
Aut sub prementis sidere purpurae
Laboret? O cui pauperies mei
Regnum dicavit, necte sertum,
Necte meo diadema Regi!
Parvo coronat munere se Deus
Plerumque, si quae paupere dat manu
Dives voluntas: dona magnis
Parva animo placuere magno.

Lyr. Lib. IV. Ode XVIII.

Ad Rosam.

Quotannis Calendis Iunii D. Virginis caput coronaturus.

Siderum sacros imitata vultus,
Quid lates dudum, rosa? delicatum
Effer e terris caput, o tepentis
Filia caeli!
Iam tibi nubes fugiunt aquosae,
Quas fugant albis Zephyri quadrigis:

Iam tibi mulcet Boream iocantis
Aura Favoni.
Surge: qui natam deceant capilli,
Mitte scitari: nihil heu profanae
Debeas fronti, nimium severi
Stemma pudoris.
Parce plebeios redimire crines!
Te decent arae: tibi colligenda
Virginis late coma per sequaces
Fluctuat auras.

Lyr. Lib. IV. Ode XXIII.

Ad Cicadam.

O, quae populea summa sedens coma,
Caeli roriferis ebria lacrimis,
Et te voce, cicada,
Et mutum recreas nemus:
Post longas hiemes, dum nimium brevis
Aestas se levibus praecipitat rotis,
Festinos, age, lento
Soles excipe iurgio!
Ut se quaeque dies attulit optima,
Sic se quaeque rapit: nulla fuit satis
Umquam longa voluptas;
Longus saepius est dolor.

Lyr. Lib. IV. Ode XXVI.

Ad Auram.

Aura, quam veris tepor et serena
Thraciae vectant animae quadriga,
Huc ades, qua te vocat hospitali
Populus umbra!

Hic tibi liber Zephyrus comas per-
sultet et ramos: vagus hic snpinas
Increpet frondes teneroque vexet
Gramina lusu.
Dum per apricos revoluta flores,
Vitreae somnum fuga suadet undae,
Meque suspensamque comante perfla
Barbiton alno!
Sic tibi caelum lepidoque soles
Rideant vultu: pede sic liquenti
Ros tibi manet, tacitaque se sus-
pendat in herba.
Sic tibi Seres Cilicesque campi
Sospiti centum geminent odores:
Sic adnlantes violis rosarum
Pecte capillos!
Sic, meo chordas quatiente plectro,
Inter admisso digitos acutum
Sibilo ludas, lyrico comes Po-
etria vati.

Lyr. Lib. IV. Ode XXXIV.

Ad Quintum Tiberinum.

Divitem numquam, Tiberine, dices,
Cuius Eois potiora glebis
Rura, Fortunae sine faece pulcher
Rivus inaurat:
Quem per insignes geniale ceras
Stemma claravit; vaga quem per urbes,
Quem per et gentes radiante vexit
Gloria curru.

Pauper est, qui se caret; et superbe
Ipse se librans, sua rura latam
Addit in lancem, sociôque fallens
Pondus in auro.
Ceteris parvus, sibi magnus uni,
Ipse se nescit, pretioque falsae
Plebis attollit, propriaque se mi-
ratur in umbra.
Splendidam vera sine luce gazam,
Turgidum plena sine laude nomen
Mitte: te solo, Tiberine, disces
Esse beatus.

Lib. Epod. Ode II.

Ad fontem Sonam,

In patrio fundo, cum Roma rediisset.

Fons innocenti lucidus magis vitro,
Puraque purior nive,
Pagi voluptas, una Nympharum sitis,
Ocelle natalis soli,
Longis viarum languidus laboribus,
Et mole curarum gravis
Thuscis ab usque gentibus redux, tibi
Accline prosterno latus.
Permitte siccus, qua potes, premi; cava
Permitte libari manu!
Sic te quietum nulla perturbet pecus,
Ramusve lapsus arbore:
Sic dum loquaci prata garritu secas
Et laetus audiri salis;
Assibilantes populetorum comae
Ingrata ponant murmura

Tibi, lyraeque vatis. Haud frustra sacer
  Nam si quid Urbanus probat,
Olim fluenti lene Blandusiae nihil,
  Aut Sirmioni debeas.

Sidronii Hosschii *)
e Soc. Iesu.

Eleg. Lib. I. 9.

Portus.

Hactenus incerti ventis iactamur et undis,
  Nec tenuit nostras ancora fixa rates.

---

*) Markemlensis dioeceseos Iprensis, nat. 1596. Ob. Tungris d. 4. Sept. 1653, aet. 57. — Ob miram carminis suavitatem ac nitorem plurimi aestimatus est a viris doctissimis et sui et posteriorum temporum, inprimis autem a Fabio Chisio Cardinali, postea Alexandro VII. Pont. Max., cuius iussu poëtae praestantissimi, quibus egregius ille Pontifex familiarissime utebatur, Hosschii funus naeniis celebrarunt. Cf. infra Iac. Wall. Eleg. II. 7 et Furstenberg Eleg. ad Wall. Laudandi sunt etiam Wallii versus elegantissimi (Lyr. Lib. II. Od. XI.) in viri amicissimi honorem scripti:

Assurgit omnis Sidronio chorus
Volensque laurum sertaque porrigit,

Iam puppis meruit terrae vicina coronam:
  Apparent portus: navita vela lege!
Optati portus, statio gratissima fessis,
  Non intermisso digna labore peti.
O patria! o ingens Divum domus! aurea caeli
  Limina, spes nostrae metaque summa viae!
Ut te securi, post tot discrimina, tandem
  Aspicimus, sedes invehimurque tuas!
Ex tot in Ionio, qnas aequore turbida ventis
  Iactat hiems, pancas obruit unda rates.
Mille sed hic inter, vix te millesima puppis
  Aspicit et longo fessa labore tenet.
Felix, quae tumidis pelagi defuncta periclis
  Secnro tandem littore tuta sedet!
Felix, votiva quae iam redimita corona
  Aequoreis fractas rupibus audit aquas!

Seu plectra sumpsit, sive totnm
  Ipse aliis Helicona pandit.

Nec omittenda honorificentissima illa verba Iani Bruckhusii ad Tibull. I. 9, 54: „*Ille quidem (Hosschius) istis (sc. Homero et Ovidio) recentior, sed ingenii iucunda fertilitate et poeticae facundiae dulcedine non adeo dispar.*“

In optimis Hosschii Elegarium editionibus censendae sunt Antverpiensis ex officina Plantiniana Balthas. Moreti 1667. 8., cui praefixa est Iac. Wallii dedicatio ad Alexandrum VII. P. M. (calci adhaerent Guil. Becani Idyllia et Elegiae) et Lugdunensis, quae prodiit a. 1668. 12. una cum G. Becani et I. Wallii carminibus. Praemittitur brevis Hosschii vita.

Hanc Amor, hanc bona Spes, hanc Pax deducit euntem,
Et sedet in summa candida puppe Salus.
Ipsa sedet Divosque vocat Zephyrosque faventes:
Ipsa movet nivea turgida vela manu,
I mea, quo debes, quamvis superanda repugnant
Aequora, per tumidas i, mea puppis, aquas!
Auspicibus Superis portum cape, cuius amore,
Quidquid triste fuit ferre, tulisse iuvat.
Hic nos excipient ipsis communia Divis
Gaudia, mortali non referenda sono.
Haec nos meta manet: sumus haec ad gaudia nati:
Non alio nobis vivere fine datum est.
Infelix, qui non portum festinat ad illum,
Caecaque inoffensum per vada quaerit iter!
Creditur esse aliquid regum de sanguine nasci
Et sperare sua sceptra tenenda manu.
Quid tamen hoc tanti est? cur quisquam hoc invidet ulli?
Nec se, nec titulos respicit ipse suos?
Ut regnum Oceano et terrarum finibus aequent,
Quid magno reges nomine maius habent?
Ut desint curae, quae numquam sceptra relinquunt,
Nec sit ab invidia, nec sit ab hoste metus:
Deficiunt reges aurumque et purpura regum
Et fugiunt firmas sceptra caduca manus.
Respice te, qui sis: tua plus quam regia sors est.
Me miserum! cur haec tam male nota tibi est?
Plus tibi, quam regnum primo defertur ab ortu:
Plus tibi quod donet, non habet ipse Deus.
Et quisquam, cui sunt humili de plebe parentes,
Hoc dolet? et nullo se putat esse loco?

Gratia magna tibi, Regum supreme, laboris
  Dulce levis pretium qui tua regna facis.
Gratia magna tibi, cuius clementia, dignos
  Hoc solio quos non iuvenit, ipsa facit.
Cur hoc non capimus? cur huc non tendimus omnes?
  In bona cur quisquam tanta venire negat?
Ergo ego sustinui, rapiente cupidine mentem,
  Umbras nescio quas votaque stulta sequi?
Ergo ego plus aliquid, quam te vesanus amavi?
  Cum facere hoc ausa est, mens ubi nostra fuit?
O ego quam tunc me miserum furialiter odi!
  Quam gravis ipse mihi tunc inimicus eram!
Qui sine te nequeo, cur tecum vivere fugi?
  Omnia tu nobis, et satis unus eris.
Cetera deficiunt, ut nix humentibus Austris
  Deficit, ut vernae sole calente rosae.
O curas hominum! levis hos mendaxque voluptas,
  Hos amor et cineri debita forma capit.
Sunt, quos ambitio speciosis detinet umbris,
  Sunt, quos laus pretio quolibet emta iuvat.
Mutandis aliis transmittit mercibus aequor,
  Congestas alius per scelus auget opes.
De caelo et Superis, si qua est tamen, ultima cura est.
  Hei mihi! quam paucos haec mea verba movent!
Quid facitis miseri? quid spes agitatis inanes?
  Quod fugit et fallit, quis sapienter amat?
Quod pretium vestri nisi fraus et poena laboris,
  Debita seminibus messis amara suis?
Cur vobis mors ipsa magis, quam vita probatur?
  Cur plus, quam portus, naufraga saxa placent?
Ah cur non potius, quod numquam fallit, amatis?

Hoc (neque nescitis) quisquis amavit, habet.
At mihi, quae prosint, placeant ante omnia curae!
Hic labor, haec studii summa sit una mei!
Ille meos, solus qui me satiabit, amores
Vindicet: ille mihi est omnia. Terra, vale!

Eleg. Lib. III. 9.

Ad Mat. Casim. Sarbievium e Soc. Iesu, poëtam Lyricum.

Romanae fidicen citharae, qui sidera tangis
Vertice et ignavam despicis ales humum:
Pace tua, quamvis nec certius alta Cleanthis,
Nec Samii fuerint ora locuta senis:
Semita Dircaei non est tamen invia cycni:
Ivit et hanc pennis repperit alter olor.
Nec minus est aurae, qua se levat aemulus ales,
Nec spatio nubes inferiore secat,
Nec male ceratis ad sidera nititur alis,
Aequoreis nomen triste daturus aquis.
Aethereas animas testor Zephyrosque Notosque,
Et quaecumque tuos detulit aura modos,
Si tua, Sarbievi, sperasset carmina Flaccus
Et factum fieri posse putasset opus,
Forsitan aequari vatem non posse negasset,
Quem vigor in caelum plurimaque aura levat.
Felix, credibili maior quem concitat ardor!
Iudicium superas vatis et orbis idem.
Non abit in peius semper vitiosior aetas;
Nec quamvis semel est ferrea, semper erit.
Nomine nostra suo est melior dicique meretur
Aurea, carminibus nobilitata tuis.
Haec ego vos, Musae, vestroque in monte virentes

Iam pridem lauros edidicisse reor.
Haec ubi cantatur, nec saxa, nec aequora surda,
Nec sunt indomitae turba timenda ferae.
Vos eritis testes Getico sub sidere cautes:
Quique Lycaonio, Ponte, sub axe faces.
At neque solus habes auritas, Sarmata, rupes,
Mirantesque tenes, Vistula, solus aquas.
Et Rhodope et scopulis veniunt plaudentibus Alpes
Nullaque non montes gens videt ire suos.
Haec Rhodanumque Padumque tenent, haec carmina Rhenum,
Oblitos notas, ut prius, ire vias.
Haesit saepe Tagus fulvaque reclinis in urna
Dixit: Eunt auro purius illa meo.
Saepe aliquis nulla vates haec legit in umbra
Et circum viridis protinus umbra stetit.
Cui licet, haec gelida nemorum securus in umbra;
Belga sed, heu! lituos inter et arma canit.
Sic tantum in patriis cantasset montibus Orpheus,
Cum silvis itidem saxa secura forent.
Nec minus Aonias lapis ascendisset in arces
Evectus numeris, magne poëta, tuis.
Nec minus his captus, qui vexit Ariona, delphin
Aequoreis ludens exsiliisset aquis.
Me certe tua Musa sui dulcedine cantus
Abripit et memorem non sinit esse mei.
Saepe fui, ceu vaticinans, aliena locutus,
Et fuit abrepti carmen in ore tuum.
Saepe locuturus diuturna silentia feci
Aut rupit medios lingua retenta sonos.
Mens abit et subito tacitum mirantur amici;
Me rapiunt numeri, cycne canore, tui.

Sive iubes in Threïcium capere arma tyrannum,
  Paene minax digitis sumitnr hasta meis.
Sive super nubes sublimis et aethera tendis,
  Ipse levi videor nube repente vehi.
Sive per Ausonios spatiaris lauriger hortos,
  Me Zephyri et Florae regna subire puto.
Seu maerente canis testudine flebile carmen,
  Palleo, nec fletu lumina nostra carent.
Seu tristes hilari solaris pectine curas,
  Defluit ex animo cura dolorque meo.
Sive pios castae suspiras mentis amores,
  Urimur, ardentes sunt tua verba faces.
Denique me formas subito convertit in omnes
  Qualiscumque operis pagina lecta tui.
Hoc est et volucres cantu fluviosque morari:
  Hoc est aëria ducere saxa via.
Hoc est fulmineas auferre leonibus iras:
  Hoc agnis rapidos conciliare lupos.
Pegasides Divae, vestra date debita vati.
  Quae possint Clarium serta decere deum!
Quid precor? Exiles lauro redimite poëtas:
  Vos mihi, si merui, nectite serta deae!
Nam tua, Sarbievi, cum silvae plectra sequantur,
  Ad crines properat laurea sponte tuos.

Ecloga

In obitum Georgii Chamberlini, VI. Iprensium Episcopi,

Thyrsis.

Raptum immaturo deflebat funere Thyrsin
Infelix Lycidas, nec erant sua verba dolenti.
Tantum inter silvas, fontesque et flumina, Thyrsin

Ingeminans, fontes lacrimis augebat et amnes.
Iam Thyrsin montes, umbrosa cacumina Thyrsin,
Convallesque cavae Thyrsin, collesque supini
Herbosis Thyrsin referebant flumina ripis.
Ut vero impastum, nullo custode, per agros
Ire gregem vidit, tendens ad pascua palmas
Constitit et lacrimans haec vocem in verba resolvit.

Parcite, oves, nimium procedere; non bene solae
Collibus et campis silvisque erratis in altis.
Ipse lupum nuper post haec dumeta latentem
Quae petitis, multoque infectum sanguine vidi,
Nec, cum: Coge pecus, clamarem, Tityre, fugit.
Heu! pecus infelix, postquam te cura reliquit
Thrysidis, ah teneros quis iam cum matribus agnos
Ad colles pastum, quis potum ad flumina ducet?
Quisve ursos miseroque lupos arcebit ovili?
O Divi, quid oves in vos committere tantum,
Quid capreae potuere? quibus nec flumina sedant
Thyrside sublato, nec graminis herba dolorem.
Florentem ut cytisum inveniant in monte capellae.
Ad stabula impastae redeunt e monte capellae
Impastique gemunt plena ad praesepia tauri.
Thyrsi, tuum steriles etiam sensisse myricae
Interitum maestique amnes silvaeque putantur.
Vidi ego in arboribus sensim pallescere frondes,
In campis segetes languere, in collibus herbas;
Occiderat Thyrsis, lugebant omnia Thyrsin.
Thyrsis et Arcadium superabat Pana canendo:
Herbarum immemores illo cantante capellae
Et teneri stabant arrectis auribus haedi.
Ad pia silvestres veniebant carmina Fauni

Nymphaeque Dryadesque et capripedes Silvani
Ipsa etiam numeros narratur Thyrsidis Echo
Et didicisse et nil retulisse libentius unquam.
At nunc pro numeris, pro cantu Thyrsidis Echo
Solum iterat mecum ereptum maestissima Thyrsin.
Nec tantum mulcebat oves oviumque magistros
Et quae cantando vincebat numina ruris,
Sed rigidas etiam flectebat carmine cautes
Et deducebat celsas e montibus ornos.
Dulce sonat querulo fugiens per gramina rivus
Murmure; dulce sonat venientis sibilus austri
Arboreas medius per frondes; dulce canoris
Alitibus silvae resonant, arbusta cicadis;
Dulcius arguta resonabat arundine Thyrsis,
Seu silvas, seu quis pecori sit cultus alendo,
Seu caneret Superos, Divumque referret amores.
Quid tamen ista iuvant? Pastorum gloria Thyrsis
Num minus interiit? Qui cantu saxa movebat,
Num potuit cantu duras quoque flectere Parcas?
Frangite pastores calamos; nil carmina prosunt.
Servassent, si quid potuissent carmina, Thyrsin,
Nostraque mansisset rurisque aeterna voluptas.
Triste satis grando, maturus imber aristis,
Tempestas ratibus, nebulae florentibus hortis,
Milvius alitibus, nobis tua funera Thyrsi.
Nec dolor hic citius miseros, quam vita relinquet.
Ante feret saliunca rosas, poma ante cupressus;
Ante etiam hirsutis crescent in sentibus uvae,
Mella dabunt amnes, quercus feret omnis amomum,
Pastores Thyrsin quam non lacrimemur ademptum.
Quamvis iam silvas Thyrsis melioraque nostris
Rura tenet videresque aeterno gramine colles;

Quos nec hiems nivibus, nec laedet grandine corus,
Nec lolinm infestat, nec adurit solibus aestas.
Quamvis iam puro manantia flumina lacte
Libat et aeterno manantes nectare fontes,
Quamvis sub pedibus nubes et sidera spectat.
  At vos ite domnm, infelices ite capellae,
Ite domnm sine me; sed parcite rodere vitem,
Quam posuit Thyrsis, teneram cui saepe rigavit
Radicem et nimias ferro compescuit nmbras!
Neu terite ingressae, coluit quem sednlus hortum!
Hinc ego namque rosas et purpureos hyacinthos,
Et dnlces violas et candida lilia carpam.
His saltem infelix donis cumulabo quotannis
Dilectos cineres circumqne altaria spargam,
Et spargens flebo, et parvo flens mnrmure dicam:
Thyrsi tibi violas et candida lilia spargo.
Tnm duo vicinis incidam carmina fagis:
Hoc pecoris custos tegitur sub cespite Thyrsis,
Deliciae gregis et pastorum Thyrsis amores.

Vota Ser. Archiduci Austriae Leopoldo, Belgii Gubernatori.

Elegia VI.

Honesta animi relaxatio.

Non bene continuus fertnr labor: otia poscit.
  Otia dant animos fessaque membra levant.
Cui iuga sudanti solvit cervice colonus,
  Fortiter et longo tempore taurus arat.
Qui demptis ad plena stetit praesepia frenis,

Isthmiaco melius pulvere currit equus.
Deficiet sensim qui semper tenditur arcus:
Ferre negat segetes irrequietus ager.
Apta quies operi: quod habet requiemque modumque
Durat opus. Virtus exigit ipsa modum.
Corpora de duro non sunt mortalia ferro:
Nec silicum venas membra, nec aeris habent:
Et tamen assiduo ferrum consumitur usu,
Assiduus lapides usus et aera terit.
Hoc sensit posuitque deae delubra Quieti
Thuraque Cecropidas Roma secura dedit.
Illi saepe duces tenero de flore coronas
Grataque suffuso dona tulere mero.
Grande geris, Princeps, et quod mortalia frangat
Pectora, si nulla parte levetur onus.
Nix et hiems pluviaeque graves, et pulvis et aestus,
Et vigiles noctes sollicitique dies,
Proeliaque et validis repetendae viribus urbes,
Et non spernendo iustus ab hoste timor,
Pars onerum; sed pars quota sunt, Leopolde, tuorum,
Quae te sollicitum nocte dieque tenent?
Tamque gravis toto te moles urgeat anno,
Nec placidos habeant tempora dura dies?
Cur alia ex aliis omni te tempore cura
Maceret et nostris conficiare malis?
Ipse tuus miles non semper degit in armis:
Saepe caput galea nudat et ense latus.
Tu quoque sollicito clypeum de pectore solve,
Et galea vertex et vacet ense manus!
Casside deposita citharam tractabat Achilles,
Molle movens plectrum qua prius arma manu.

Qua Turnus casurus erat, venabula torquens
  Perculit errantes dextera saepe feras.
Cum freta sulcaret fugiens Salamina patremque,
  Nec fuga dura minus, quam pater ipse foret;
Saepe caput viridi Teucer vinxisse corona
  Dicitur et cursus sustinuisse suos;
Et sociis dixisse: Graves iam pellite curas,
  Aequoreum velis cras repetemus iter.
Tu quoque, dum nostris expellis finibus hostes,
  Oppida dum Domino reddis adempta suo.
Temporibus mediis animum laxare memento,
  Ut quibus es, possis utilis esse diu!

Guilielmi Becani *)

e Soc. Iesu

Elegia I. **).

Transeamus usque Bethlehem et videamus hoc verbum, quod factum est. Lucae 2.

Tempora noctis eunt divini conscia partus.
  Quisquis es, ignavo corripe membra toro!

---

*) Nat. in Flandria seculo XVII.; def. Lovanii d. 12. Dec. a. 1683.

**) Prodierunt Becani Idyllia et Elegiae Antverpiae ex offic. Plantin. Balth. Moreti. 1655. 8. ibidemque una cum

Non facit ad somnos haec nox. Exsurgite stratis;
  Candidiora die tempora noctis eunt.
Ipsa domus Superum non se tenet: arduus aether
  Panditur: Aligerum deserit astra chorus.
Exoritur terris nova lux, ferit aëra cantus
  Aethereus: caelum quod solet, audit humus.
Nec vigilamus adhuc? studiis nec tangimur istis?
  Nec pudor est, si nos lentior ardor agit?
Stirpe satus nostra nostros Deus induit artus.
  Gens caeli minus hic, quod sibi plaudat, habet.
Este procul segnes: iuvat ire chorisque beatis
  Immixtum volvi Numinis ante pedes,
Et tanto venerandum ortu lustrare mapale
  Et dare sacratis oscula liminibus.
Salve parva quidem, nec magnis usibus olim

Sidr. Hosschii Elegiis. 1667. 8. De cuius poëtae melitissimi carminibus egregie **Iac. Wallius** (Lyr. Lib. II. Ode XI.):

Becane, dulces te gremio Deae
Fovere vatem: te puerum sacra
  Texere lauro, mox daturae
    Promeritam capiti coronam.
Tibi ora Pitho finxit et aurea
Liquente succo nectaris imbuit.
  Narratur et cunis in ipsis
    Te Pietas praeiisse cantu.
Rerumque inanes Simplicitas tibi
Odisse fucos et strepitus dedit,
  Illimis et nusquam fragosus
    Ut Superum caneres amores.

Elegias in vernaculam linguam nuper convertit V. Cl. **Silbertus** in opere, quod inscribitur: *Dom heiliger Sänger.*

Condita: nunc caelis invidiosa domus.
Non tibi fulgentes vario stant marmore muri:
Arte laboratum non laqueare nitet.
At, quem non terrae, non terris vastior aether
Contineat, septo clauditur ille tuo.
At tibi naturae magnus se credidit auctor:
Haec opere ex toto vindicat antra sibi.
Nec qualem caelo credunt regnare timentque
Mortales, talis sub tua tecta venit.
Inde ciet tonitru terretque fragoribus orbem:
Praeter vagitus hic sine voce iacet.
Inde ferit sontes et noxia fulmina vibrat:
In te fasciolis brachia vincta tenet.
Aspirat tenerum, quidquid tu cernis, amorem:
Maiestas illic, quo timeatur, habet.
Si beat et Superos, si iugi gaudia cursu,
Si fontes illic nectaris ire iubet:
Tu fontes alios, rorantia lumina spectas,
Primaque divinis spargeris a lacrimis.
Tu planctus, caelum quibus ipsum commovet, audis,
Ut sua praeque suis ut mala nostra gemat.
Si qualis fuerit semper quantusque, det illic
Cernere, cernentes assimiletque sibi:
Tu similem nobis, nisi quod sit egentior, ipsum;
Tu, nostri quid sit factus amore, vides.
Fortunata domus, quam prae te regia sordent
Atria! Paupertas quam pretiosa tua est!
Prae foribus tibi nunc intendat aranea casses:
Pendeat ad crates sordida tela tuas;
Sit nunc, quam stipulae, tibi nil opulentius, et quam
Sparsa pavimento quae iacet herba tuo:

Tempus erit, gentes ad te cum munera mittant,
  Quas sol exoriens occiduusque videt;
Ipsa caput mundi cum te colat inclyta Roma,
  Et tua praeponat montibus antra suis.
Nec fore Iessides hoc non praenovit, Ephratae
  Hac dum saepe suas ad iuga duxit oves.
Viderat hos humili suspensos fornice tophos
  Et Domini cunis saxa datura locum.
O quoties illis pia supplex oscula fixit
  Et sacram flexo poplite pressit humum;
Quaeque suis Numen lacrimis loca spargeret olim,
  Ipse per haec siccis noluit ire genis!
O quoties, hoc ne frigus captaret in antro,
  Arcuit exustum solis ab igne gregem!
Ergo erit, aiebat, desertis Numen ut astris,
  Rupe sub hac inopis matris alatur ope?
Arbiter ut rerum nostro de nomine dici
  Davidisque olim gaudeat esse nepos?
Fortunata specus, puerum quae prima videbis
  Quaerentem matris colla sinumque suae.
Nunc ego te, visent olim populique ducesque
  Figenturque tuo regia labra solo.
At tu rumpe moras sanguis meus, aspera quamvis
  Hic tibi sint primus saxa futura torus.
Rumpe moras: nec te terris ostendere differ,
  Saepe petite mihi, saepe petende puer!
Ipsa laetitia voces ad sidera mittent
  Intonsi montes: gestiet omnis ager:
Fundet humus flores: stillabunt nectare colles
  Et durae quercus roscida mella dabunt.
Audiam et haec manes inter me fama beabit
  Et solvam laetus vota vel inde tibi.

Dixerat. Audivit caelo tunc Numen ab alto
Exceptum laribus nunc, domus alma, tuis.

Elegia II.

Peperit filium suum primogenitum et reclinavit eum in praesepio, quia non erat ei locus in diversorio. Lucae 2.

Virgo parens facta est: Deus est e virgine natus:
Spectatum e caelo, turba beata, veni!
Nec ne poeniteat formosas linquere sedes;
Nunc aliquid noster pulchrius orbis habet.
Qui vobis Dominus, lege sub nostra teneri
Et nostri voluit sanguinis esse puer.
Spargite purpureos circum cunabula flores,
Cinnamaque et tenero balsama mixta croco,
Et quidquid vestris fovet aura beatior hortis,
Non defecturas ver ubi fundit opes.
Ver ibi perpetuum: nostro nunc exulat orbe;
Inque locum nimbis horrida venit hiems.
Fronde carent frutices: periit sua gratia campis:
Quo steterant flores, nix iacet alta loco.
Atque utinam solae regiones, sola rigerent
Flumina! non animos frigus haberet idem!
Exciperent homines divinum pignus et hospes
Certaret Domini quilibet esse sui!
Spernitur, heu! tectique venit communis egenus
Inque suo nascens non habet orbe locum.
Ah genus ingratum! tibi celsa palatia surgunt
Tectaque divitiis conspicienda suis:
Compositum lecto mollis te somnus eburno
Excipit et picta stragula veste tegunt:
Ad miserum rector Superum compellitur antrum;

Nec quo fessa toro membra reponat, habet.
Excipit infantem durus lapis, inque resecta
De fluviis ulva straminibusque iacet;
Afflatuque bovis sociique fovetur aselli:
Hac rerum Dominus frigora pellit ope.
Nate Deo, te longa novem fastidia menses
Materno clausum sustinuisse sinu;
Te nostros sumpsisse artus infirmaque membra;
Te patrio terras praeposuisse polo;
Ut tandem in dura quaeras tibi rupe cubile
Et pecudes optes inter habere locum?
Astra ubi nunc? ubi stellatae, tua regia, sedes,
Et tot in obsequium millia prompta tuum?
Nempe amor agresti caelum mutare mapali
Suadet et in parva te iubet esse casa.
Illius imperium plus te, quam Caesaris, urget:
Fert Caesar leges gentibus, ille Deo.
Cum posses quovis, hoc iussit tempore lucem
Aspiceres, quo non tristius annus habet.
Nazareos intra muros sua parva parenti,
Qua recipi posses, resque domusque fuit:
Non tibi permissa est contingere; parvaque quamvis,
Ampla nimis visa est usibus esse tuis.
Hanc rupem ferus ah! haec maluit antra subires,
Antra quieturo vix satis apta gregi.
Illic parva tibi pater incunabula nuper
Fabrili simplex arte pararat opus:
Et: Manibus quandoque meis haec ipse movebo,
Communis labor hic, dixerat, uxor erit.
Hic illi, cuius vigili stant omnia cura,
Nitemur somnos conciliare leves.
Hic oculos figam faciem securus in illam,

Aligeri quam non absque pavore vident.
Porriget hic ridens dextram mihi, quamque tenebo,
Mirabor dominam fulminis esse manum.
Et modo blanditias, modo verba precantia dicam
Atque illi, quicum lusero, vota feram.
Tu tua coniunges, virgo, magnumque stupebis
Auxilio Numen lactis egere tui.
Haec, puer alme, pater sibi promittebat eratque
Talis de cunis curaque spesque tuis.
Ah! praesepe tibi pro cunis contigit istis:
Huc spes, huc rediit patrius ille labor.
Cur hoc sis passus, causam quis quaerit? Amasti,
Haec summa est: hinc lex tam tibi dura venit.
Eheu! iura tibi iam nunc si talia ponit
Subiectumque tuum sic sibi numen habet;
Si primo crudelis amor te cogit in ortu,
Quae numquam fuerant perpetienda, pati;
Quid faciet, magnis (nec enim mitescere discit)
Cum te suppliciis viderit esse parem?
Care puer, quid post exordia talia speres?
Quis cursus vitae sic ineuntis erit?
Ah! tibi ne subeant aliquando taedia coepti,
Nec, tanti, dicas, cur mihi terra fuit?
Ne nimium caros tibi nos, nimis esse querare
(Ut sumus) indignos pro quibus ista feras.
Causa sumus, fateor, tantorum sola malorum:
Esse sinas miseros, non eris ipse miser.
Vilis es et nihili, quia nos extollere cordi est:
Res maiestatem deprimit illa tuam.
Sed tamen hoc ipso Deus agnosceris in antro:
Hic cultum, quem non templa dedere, feres:
Agnitus est terris iam nunc tuus ortus Eois:

Astra procul cunis sunt famulata tuis.
Inde ferent qui sis testantia munera reges
Et sua submittent hac tibi sceptra specu.
Praeveniet gregibus pastorum turba relictis,
Pars melior populi primitiaeque tui;
Teque vel in pannis venerabitur et tua supplex
Numina, qua caperis, simplicitate colet.
His tua principiis sensim se gloria tollet
Et veniet magno fenore dignus honor.

Iacobi Wallii *)
e Soc. Iesu

Paraphrases Horatianae.

Frederico de Marselaer, equiti, Toparchae de Parck etc.

Otia **) Carpathio deprensus navita ponto
Exposcit Superos, cum Lunam turbida condunt
Nubila, nec laceris praelucent sidera velis.
Otia Thrax, durum Martis genus, otia Medus
Insignis pharetra, non gemmis, Grosphe, nec auri
Pondere, nec Tyrio regum venalia cultu.

---

*) Nat. Cortraci anno 1599. Ob. c. annum 1680.

**) Vid. Horat. Carm. Lib. II. Od. 16.

Nam neque Parthorum gazae, neque divitis Indi
Munera componunt animum rationis egentem,
Discordemque sibi. Si vulgi ignobilis undam,
At non et miseros lictorum virga tumultus
Pectoris et curas circum laqueata volantes
Limina submoveat. Parvo bene vivitur illi,
Cui patrium in mensa tenui splendere salinum
Contigit, et lenes somnos neque sordidus auri
Rumpit amor gelidusve pavor. Quo vota precesque
Mittimus et fortes angusto poscimus aevo
Plurima? Quid terras alio sub sole iacentes
Quaerimus incerti rerum? Quis se quoque fugit
Extorris patria? Scandit vitiosa fugaces
Cura rates tergoque equitis fugientis inhaeret,
Ocior et cervis, et aquosis ocior Euris.
Vividus in praesens animus curare, quod ultra est,
Oderit et laeto moderetur tristia risu
Vitae fata suae. Nihil omni parte beatum est.
Abstulit Aeaciden clarum fulgentibus armis
Mors cita: Tithonum minuit longaeva senectus.
Et forsan, quodcumque tibi ventura negarit,
Porriget hora mihi non invidiosa roganti.
Mille tibi vacuis pascunt in saltibus agnae:
Te circum Siculas audis mugire iuvencas
Quadrupedesque tibi campos hinnitibus implent
Eleis digni spatiis: te vellera Poeno
Murice tincta tegunt: agro mihi Parca Sabino
Rus dedit et Graiis primum modulata Camenis
Romanis aptare modis vulgusque malignum
Spernere, fatorum vates non vana meorum.

Illustribus, Nobilibus, Ingenuis Adolescentibus Convictus Antverpiensis Societatis Iesu.

Ultimae necessitatis utilem memoriam.

Eheu *), praecipiti labuntur, Postume, cursu,
Postume, non umquam rediturae tempora vitae.
Nec pietas ullam rugis tristique senectae
Allatura moram est: tacite properantibus annis
Illa venit mutatque comas animique vigorem;
Et tandem indomitae, quamvis fortissima, morti
Corpora se debent. Nulla est fuga: lux semel omnes
Summa manet. Non, si regem pallentis Averni,
Quotquot eunt soles, tauris placare tricenis
Institeris, votis fuerit locus. Ille ter amplum
Geryonen, Tityonque atro Phlegethonte coërcet
Ferreus et nulla superum exorabilis arte.
Omnibus huc iter est, qui terrae munere et aura
Vescimur: hoc omnes advertet portitor olim
Littore, sive erimus reges, inopesve coloni.
Falcibus et rastris, ne quem Mars perdat acerbo
Funere, depositos frustra mutabimus enses;
Neve sit exitio nautis classesque virosque
Obruat, insanos raucus premet Adria fluctus:
Et modo dum nimio per inaequales auctumnos
Frigore corripimur, nimio modo solvimur aestu,
Aëra non certum frustra metuemus et Austros
Imbribus et nebulis tepidoque vapore nocentes.
Cocyti vada lenta, putri torpentia coeno,
Nulli non adeunda. Manent nos Belides illic,
Probrosum Danai genus aeternoque labore
Sisyphus Aeolides, alto ruitura volutans

*) Vid. Horat. Lib. II. Ode 14.

Saxa iugo. Linquendus ager dulcesque Penates
Et thalamus formaque placens et moribus uxor.
Deque tot arboribus, quas ordine ponere longo
Cura fuit, non ulla teget dominumque sequetur
Ulla brevem, nisi forte rogo statuenda cupressus
Et vidua figenda domo. Tum Caecuba centum
Obsignata seris absumet dignior heres,
Magnarum non parcus opum: potioraque magnis
Pontificum coenis ac multo undantia luxu
Vina solum Pario constratum marmore tingent.

Eleg. Lib. I. 7.

Ad Sidronium Hosschium, e Soc. Iesu.

Cum alter alterius recognoscendis versibus mutuam navaret operam amicissima libertate.

Ne vivam, neque vita meos quaecumque libellos
  Excipiat, superet tempora parva meae,
Te mihi, Sidroni, vivit si carior alter,
  Parsque sodalitii dulcior ulla mei est.
Tu mihi primus amor: te iudice glorior uno
  Nos aliquem vates inter habere locum.
Tu mea cum legeres, quid non sperare iubebas!
  Iudicio crevit spesque animusque tuo.
Nec tamen interea, ne non me cultior irem,
  Admonitu non est facta litura tuo.
Non tibi libertas deerat: mutanda notabas.
  Saepe mihi facilis, saepe severus eras.
Saepe suo invitam resecabas corpore partem.
  Libertas Musis profuit illa meis.
Incisis melius veniunt in vitibus uvae,
  Incisis formam sepibus hortus habet.
Nec, nisi cum loliis steriles vellantur avenae,

Sperato messem fenore reddit ager.
Nec, nisi silvestres rami caedantur et umbrae,
Insita mutatae mala tulere pyri.
Non mihi scribendi veniat tam dira libido,
Ut mea contemto iudice solus amem.
Sic se littorea cum vidit solus in unda,
Thersites facie credidit esse bona.
Sic quem Nerine tantum Galatea videndo
Horruit, est formae captus amore suae.
Credidit et lumen, media quod fronte gerebat,
Credidit hirsutas et placuisse comas.
Non haec antiquos tenuit fiducia vates.
Ingenio timuit credere quisque suo.
Cynthia laudata est: sed laudatissima quamvis
Cyntbia, iudicio subdita, Naso, tuo est.
Nec puduit Flaccum, iussos licet icta referret
Chorda sonos, aures consuluisse tuas.
Saepe suas etiam volucres tibi legit et herbas
Quaeque Mycenaeis induit arma Macer.
Saepe, Perilla, tuum lima mordaciter idem
Rasit, et incudi reddere iussit opus.
Non, ubi cessaras, quamvis cessasse puderet,
Delictum Musa est infitiata suum.
Cedere malebas, quam non admissa fateri,
Nec tibi non laudi cognitus error erat.
Ah valeat, sibi qui parcit seque et sua solus
Aestimat atque odio verba monentis habet.
Ipse sibi plausum geminet nectatque coronam
Et medio Pindi det sibi monte locum;
Invidiamque vocet, quam non nisi summa merentur,
Incultum si quis damnat et odit opus.
Saepe suis illum videas superesse libellis,

Saepe etiam famae funera flere suae.
Quippe rudes fetus primo moriuntur in ortu,
Primaque lux illis saepe suprema fuit.
Tu famam vitamque iubes sperare libellos,
Iudicio pretium qui meruere tuo.

Eleg. Lib. II. 7.

Ad Se ipsum.

Cum Sidronius Hosschius e Societate Iesu, amicorum et poëtarum optimus maximus, vita excessisset.

Ergo, ubi summa dies nostros expleverit annos,
Quod sumus, iniectus pulvis et urna teget?
Nec mihi profuerit, quod vates numen habere
Credimur et Divum proxima cura sumus?
Nec mihi, quod chartas et chartis digna notari
Nomina post cineres Musa perire vetet?
Si quid id est, cari venient ad funera vates,
Et tumulo titulum maestaque serta dabunt.
Ossaque praeteriens (si quis tamen illa viator
Noverit et Musae fama sit ulla meae)
Forsitan insperget violis hederaque virente
Et leviter: Vates hic quoque, dicet, erat.
Ulterius nihil est, quo se spes ardua vatum
Porrigat: hoc pretio gens operosa sumus.
Et mihi iam tanti est, aliquis si dicar in illis
Et populi veniat parvus in ora liber?
Ah furor est, sacras aliquod captare per artes
Nomen et in famam vivere velle suam.
Fama perit, pereunt artes, rapit omnia secum
Et rogus infelix et niger ille dies.
Parnassi colles et collibus addita Famae

Limina, laurigeris undique septa viis,
Parcite, non ego vos, quamquam mihi carus Apollo
Annuat inque suum me sinat ire nemus;
Non ego vos hederas, si quas meruisse putamur,
Non capiti posco laurea serta meo.
Nec servant hederae, nec servat laurea vatem
Et cineres frustra sera corona tegit.

Lyricorum Lib. I. Ode 10.

Ad Sidronium Hosschium.

Cum ab eo cultissimam accepisset elegiam.

O gratos mihi gratiisque plenos,
O cultos elegos et expolitos,
Quos ad Pegaseae caput scatebrae
Dictarunt faciles tibi Camenae!
Nusquam simplicitas decensque cultus,
Et nusquam nitor eruditioque,
Et nusquam veneres salesque desunt.
O cultos elegos et expolitos,
O gratos mihi gratiisque plenos!
An spectem numeros? Tenentur aures.
An cultum? Capior. Modosne? Ducor.
Sensus? Robur habent. Tuamne limam?
Nil exactius est politiusque.
Artem? Summa latet. Measne laudes?
Hoc tantum (sed amoris ista culpa est
Et gratae venia est parata culpae)
Peccarunt elegi tuaeque Musae.

Iacobi Balde *)
e Soc. Iesu

Carmina selecta.

Lyr. Lib. I. Ode III.

Thomae Mori constantia.

Hic ille Morus, quo melius nihil
Titan Britanno vidit ab aethere.
  Funesta cum Regem Bolena
    Illicito furiasset aestu,
Audax iniquas spernere nuptias,
Amore veri propositum minis
  Obvertit Henrici, tyranno
    Fortior indocilisque flecti.
Non carcer illum, non Aloysia
Dimovit uxor, nec trepidus gener,
  Nec ante patrem Margarita
    Femineo lacrimosa questu.

---

*) Nat. Ensishemii in Alsatia superiore mense Ianuario a. 1603. Ob. Neoburgi ad Danubium in Bavaria d. 9. Aug. a. 1668. Vid. Kobolti bayerisches Gelehrten-Lexikon p. 76. Plura de hoc poëta nostro laudatissimo docte disseruit Vir Clarissimus Antonius Mengein in Baldei memoria, quae inscribitur: Die Feyer der Errichtung des Denkmales für den Dichter Iacob Balde zu Neuburg an der Donau am 9. August 1828. Neuburg an der Donau. 4.

Fertur monentem mitia coniugem,
Sed non et isto digna viro, procul
Abs se remotam cum feroci
Ut fatuam pepulisse risu.
Mox, qua fluentem se Thamesis rotat,
Ad destinatum funeribus locum,
Casto coronandus triumpho,
Per medios properavit Anglos.
Ductum secuta flente Britannia,
Non flevit unus; marmore durior,
Et certa despectante vultu
Fata tuens hilarisque torvum.
Atqui sciebat, quid sibi regius
Tortor parasset. Non aliter tamen,
Quam laureatos Sulla fasces,
Ipse suam petiit securim.
Plenus futuri quo tumulo stetit,
Postquam paventem carnificis manum
Mercede firmasset, cruento
Colla dedit ferienda ferro.

Lyr. Lib. I. Ode VI.

Ad Matthiam Rasonem.

Animi generosi libertas.

Si circumspicias te, Raso, non tua;
Paucis dives eris. Quae data pertinax
Fortunae fragilis munera respuis,
A te plenius impetras.
Gaudet Diva quidem mobilis appeti,
Servilemque trahit vulgus ad ambitum;
Ut quas caeca nuces spargit, aventibus
Turbis diripiant manus.

Sed tu pelle procul; neu tremulum velis
Incurvare genu; neu Laribus vagam
Dignatus Dominam, suppliciter pedes
Turpi stringere basio.
Sin fractis humilem cumque subiverit
Portis ipsa domum; seu trabeas ferat,
Seu caestum; pariter cedere nescius
Dic ad limina ianuae:
Quas promittis opes, iam teneo. Meum est,
Quidquid sperno tui. Nil cupientibus
Et nil deesse potest. Ex solido bona
Mens semper sibi sufficit.

Lyr. Lib. I. Ode XIV.

Pyladis hortus.

Symbolum amicitiae.

Exuli cum se Pylades Oresti
Iungeret, caris geminandus annis,
Duxit, haec fatus, per amoeniorem
Phocidos hortum:
Frater, o fragrans animi medulla,
Pars sacri maior meliorque veris,
Ex meo discas utinam vireto,
Quid sit amicus.
Fraudis expertes violae leguntur,
Candidum pectus reserant ligustra:

V. 5. *fragrans*] Sic edd. Monac. 1643, Colon. 1646 et Monac. 1729, sicque Io. Casp. Orellius in Eclogis Poëtarum Latinorum. — *flagrans* ed. Colon. 1660 et I. Conr. Orell. in Iacobi Balde Carm. selectt.

Germinant nigrae, tamen optimae vac-
cinia famae.
Flos Amor, flos est iuvenilis horti:
Quem creat Virtus, redolet sereno
Pulcher aspectu placidusque longum
Durat in aevum.
Ecce fons mersos penitus lapillos
Pervio veri retegit liquore.
Quidquid in fundo latet amnis imo,
Prodere garrit.
Fontis in morem penetrale nuda:
Neuter arcanum tacitus recondat.
Corde crystallus fluat ex aprico
Clara videri.
Cur diu celes animi dolorem?
Prome: dispersus minuetur extra.
Qui tibi luget, tibi gaudet, hic est
Verus amicus.

Lyr. Lib. I. Ode XVII.

Ad Cl. Virum Christophorum Carum.

Cum ad regendi Principis curam evocaretur.
In Monarchis quid miretur et optet.

Nil vulgare canam Regibus. In munere publico
Frons privata placet, mensque potens ferre potentiam.
Mirabor iuvenem non avidum, non nimium sui;
Dum suadet segetes sternere falcata licentia et
Igni vena calet. Quod rubeat sanguine piscium,
Gemmis vina bibat, sub Tyria dormiat iride;
Tanti non mihi sit. Scire peto, Care, quid imperet
Regnans Ascanius: num reliquis omnia; nil sibi.

Lyr. Lib. I. Ode XIX.

Gotefridi Henrici Pappenhemii
celeberrimi herois Germani inclyta mors in pugna Licia.[1]

Fama, quid narras? Cecidit: nec ultra
Se feret campo; fuit ille vester
Hercules Franco: fuit, et triumphos
Intulit umbris.
Pone plus iusto, mulier, loquaci
Pessulum linguae, mala Fama, fastum
Pone! Quid vanis aliena verbis
Fata lacessis?
Heu pudor! semper meritos honores
Deterit vulgus; neque bella iusta
Lance metitur, ducibusque Livor
Digna rependit.
Gloriae nullo minuenda casu
Alta sublimi manet ore Virtus:
Sola percussis labefacta nervis
Corpora sidunt.
Stare si quondam vetat in duello
Sors virum, non et vetet incubare
Graudibus factis. Situs hic iacentem
Altius effert.
Qualis Alpino ruit icta ferro
Quercus, et postquam pedibus solutis
Colla deiecit, medio fragore
Provocat Austros.

V. 3. *Hercules Franco*] Sic edd. omnes, exceptis Monacc. 1643 et 1645, in quibus exstat *Hercules Suevus*.

Sic Alexander Libyci Tonantis,
Sic humi Tydeus Danaum quievit
Strage Thebana nimioque leti
Pondere fessus.

Rebus adversis animus probatur,
Num sibi constet. Fremat hostis arma,
Vera Libertas medios per ignes
Vadit et enses.

Nil moror plebem. Iacet ille magnus,
Qui cadit magnus. Celebrat ruina,
Non premit fortem: titubatque pulchra
Truncus in ira.

Vulnus armatum decorat cadaver;
Comit hoc rupti sacer oris horror
Et cicatrices et adhuc ferocis
Rudera vultus.

Fracta labenti senio vetustas
Saepe maiorem titulum meretur,
Quam recens murus. Monumenta priscae
Consule Romae;

Crebra famosam faciunt sepulcra.
Arduam vento quatiente molem,
Cum mare et littus Rhodii replerent
Fragmina monstri;

Solis in sese recidens Colossus
Advenis aeque iacuit stupendus,
Donec impostum grave funus ave-
xere cameli.

Transiens illac aliquis viator
Dixerit visa digiti columna:
„Hic vir erectus feriebat astra,
Maior Olympo.“

Lyr. Lib. I. Ode XXXII.

Ad Arisium Moschum.

Aetatem factis, non annis extendi.

Hunc senem dices, Arisi, beatum,
Cana non cuius numeratur aetas,
Sed velut conchae lapis aestimatur,
Rarus iaspis.
Integras parvus lapis iste rupes,
Plurimas unus, pretiosa vincit
Gemma; nam dotes breviore gyro
Contrahit omnes.
Sic dies vitae sapientis una,
Mille stultorum superabit annos:
Sic anum prudens fatuam puella,
Uva labruscam.
Esse multorum est et habere corpus:
Vivere ad paucos venit. Huius usum
Sola mens caeco scelerum tumultu
Libera praestat.

Lyr. Lib. I. Ode XXXVI.

Auctoris melancholia.

Quum e campis redux audiret Brisacum a Duce Vinmario occupatum.

Horatianam da citharam, puer,
Unco refixam parietis, alteram
Vocalis argenti: nec illam,
Munus arundineum Menalcae!
Relinque buxum! Quam propior modo,
Boeote, tangis, diripe postibus!
Nescis tot exploratus annis,
Quas lacrimans animique maestus

Amem Camenas? Tum foribus quoque
Clausis memento ducere pessulum:
  Nolis apertum, me gemente
    Tristia, vestibulum patere.
Lessum dolori molior: URBS NISI
CUSTODIATUR PRAESIDIO DEI,
VALLUMQUE TURRITAEQUE FRUSTRA
    EXCUBIAE STATUENTUR URBIS.
Ergo Brisacum, Teutonici Iovis
Tarpeia rupes, decidit in manus
  BRENNI! Puer, quis fila solvit
    Et numeros male feriato
Turbavit ungui? Nil sibi consonat:
Fides reducat natus ad Aufidum.
  Me taedet insani laboris:
    Fer cyathum et citharam repone!

Lyr. Lib. II. Ode IV.

Ad Matrem amabilem.

Quisquis, o mitis, tua teque, Mater,
Non amat, tristi niger est veneno,
Et soporantis furiale virus
                    Suxit echidnae.
Illum et in saltu fera saeviorem
Tigris a veris catulis removit,
Lacte depulsum, timuitque dirum
                    Pascere foetum.
Illum et insani timuere fluctus,
Ore spectantis prius excitati:
Illum et horrebit venientem ad Umbras
                    Ianitor Orci.

Lyr. Lib. II. Ode XI.

Ad Divam Virginem

in Silva Quietis, vulgo Waldrast, altissimo Tyrolensium montium iugo propitiam.

Cum Auctor ad eam inviseret *).

Diva, quam circum spatiosa late
Hinc et hinc crescit nemoralis arbos
Et supra nubes procul acta ramis
Sidera verrit:
Ut libens dignas habitare sedes
Cerno sublimem! Nebulosa quamvis
Saxa praecingant, amor egit altum
Visere montem;
Cui Therapneae metuant Amyclae
Terga conferri viridisque Cynthus,
Quaeque famosos agitata pascunt
Maenala cervos.
Verticem supra, mediusque caelum
Inter et terras humiles iacere
Arva despecto penitus remota,
Proximus astris.
Heic moror. Vos, o socii, redite
Indices voti! Stat in hoc recessu
Emori: nam quo tumulo reponam
Dignius ossa?

---

*) Digna est quae conferatur Cl. Silberti interpretatio Germanica, inserta libro: Dom heiliger Sänger p. 327 sq.

V. 4. *verrit*] Sic edd. Monacc. 1. 2., Col. 1, et Io. Casp. Orell.; *vertit* Col. 2 et Io. Conr. Orell.

Spirat ex antris pietas et horror
Conscius Nymphae. Locus ipse gratum
Terret ac mulcet, Superique per prae-
cordia fusi.
Sive nimbosas quatit Auster alas,
Sive brumali Boreas minatur
Ninguidus cornu, Niveae tenemus
Virginis aulam.
Hinc ut avellar! prius ima valli
Incidet rupes pedibusque dorsum
Et caput iunget; prius ipse fontem
Deseret Oenus.
O Quies semper memoranda Silvae,
O tuum vere meritura nomen:
Da frui fessis aliquando vera
Silva quiete!

Lyr. Lib. II. Ode XXI.

Ad Arsacium Mamirodam musicum, testudinis peritissimum.

Quum festo die S. Caeciliae Auctorem ad symphoniam invitaret.

Lyra Pythagorae
sive
Animus temperatis affectibus concors.

Quid iuvat vatem citharas amantem
Mortuam plectris animare buxum?
Verior nostro lyra, Mamiroda, in
Pectore cantat.
Illa, si nescis, gravis ac sonora,
Constat undenis fidibus, movendis

Lege Naturae, nisi docta Virtus
Temperet arte.
Spe, metu, votis, odio, dolore,
Gaudiis, ira variamur omnes;
Corpus his nervis animusque certo
Contremit ictu.
Inter argutas resonare chordas
Est amor princeps. Age nunc et artem
Disce ludendi! Capies magistro
Certius usu.
Digna si speres, cupias honestum,
Oderis culpam, metuas timenda,
Diligas Numen, modereris irae
Laetus et insons;
Mulceas ipsos homines deosque,
Orpheo maior, pecudesque et ornos;
Totus astrorum chorus explicatas
Arriget aures.
Sin ames pravum, fugias petenda,
Peior adversis, hilaris protervum,
Saevus irasci, timidus dolere,
Turpiter audax;
Dissono, vae, quam vitiata cantu
Corda stridebunt! tua quale carmen
Musa disperdet, Stygii Camenis
Apta tyranni!
Cum ferox raptor spoliasset Aetnam,
Iamque de nigro revoluta curru
Tristis infernas Cereris subiret
Filia sedes,
Ante consistens Hymenaeus Orcum
Hac lyra maestam voluisse sponsam

Fertur et Manes hilarare; sed Pro-
serpina flevit:
„Nuptias, eheu, miseranda nostras,“
Rapta clamabat; „resonare malim
Antra Vulcani Siculaeque rupis
Nubere fabro!“

Lyr. Lib. II. Ode XXVII.

Ad Gervasium Summaram

Alsatam exulem Epistola lyrica.

Amicum turbine Vinmariae tempestatis ciectum Brisaco solatur, et in Helvetia Soloduri suam calamitatem deploranti respondet.

Si nostram potes eminus
Exaudire chelyn, Summara, Martiis
Aures Idibus arrige!
Sollers Threïcii carmine barbiti
Rétro vertere flumina
Ausim et Danubii non novus accola
Rheno mergere tibiam,
Summasque in scopulis Helvetiae casas
Campo nectere Boico.
Cur desideriis me stimulas tuis
Importunior Africo?
Frustra Vinmarii iussa Damastoris
Accusas tibi mollior,
Quam Fortuna velit. Disce placentibus
Vel sic destitui bonis
Maternoque soli fertilis ubere!
Uvam bis decimam recens
Mutavit Bromius, sertaque spicea

Divulsit capiti Cerés,
  Ex quo distineor finibus Alsatae
Nec mustum patriae bibo.
  Me, si fata volunt, accipiat lacus
Trans Maeotida nigrior;
  Ultra Sauromatas deferar ultimos
Et canae iuga Phasidis.
  Qua convexa patent aetheris atria,
Vastam possideo domum.
  Hic sum natus, ubi sum. Celebrem loco
In quovis patriam viri
  Fortes inveniunt vel faciunt sibi.
Eheu! plus nimio memor,
  Natalem quereris perdere glebulam.
Transportatus es ex tuo,
  Non eiectus agro. Crede coloniam
Romani tibi militis
  Concessam! Veteres Ausoniae duces,
Spretis montibus Italis,
  Quod vincunt, habitant. Corrige tristia!
Caelum, quo tegeris caput,
  Terram, quae profugo subiicitur pedi,
Nemo auferre potest. Vale!
  Mirum! Sponte fides ter recinunt: Vale!

Lyr. Lib. II. Ode XXXIII.

Choreae mortuales.

Saltemus! Socias iungite dexteras!
Iam Manes dubius provocat Hesperus,
Per nubes tremulum Cynthia candidis
      Lumen cornibus ingerit.

In locide senes non bene pendula,
In ferruginea cyclade virgines;
Sed picta violis grex tener instita
Alternos facimus pedes.
Heic et pontificum thure fragrantibus
Rus pastoris olens pileus infulis,
Et regum Tyriis paenula vestibus
Miscentur, sine nomine.
Nullus de tumulo sollicitus suo
Aut pompae titulis, invidet alteri.
Omnes mors variis casibus obruit,
Nullo nobilis ordine.
Nobis nostra tamen sunt quoque sidera;
Sed formosa minus, sunt Zephyri, licet
Veris dissimiles, auraque tenuior
Cupressisque frequens nemus.
O dulces animae, vita quibus sua
Est exacta: nigris sternite floribus
Quam calcamus humum, spargite lilia
Fuscis grata coloribus.
Aptos ut choreis inferimus pedes!
Ut nullo quatitur terra negotio!
Dempta mole leves et sine pondere
Umbrae ludimus alites.
Ter cantum tacito murmure sistimus,
Ter nos Elysium vertimus ad polum.
Ter noctis tenebras (stringite lumina)
Pallenti face rumpimus.
Nos quicunque vides plaudere Manibus,
Cantabis similes tu quoque naenias.
Quod nunc es, fuimus. Quod sumus, hoc eris.
Praemissos sequere et vale!

Lyr. Lib. II. Ode XLI.

Ad D. Virginem salutem infirmorum.

Cum Auctor febri tentaretur.

Mater salutis, tempus in ultimum
Mansura mecum, quo mediam dies
  Inclinat in noctem, tepenti
    Pelle nocens stomacho venenum,
Aegrique tabem corporis igneam!
Iam flamma mixto contremuit gelu;
  Iam frigus alternans calorem,
    Excubias vice plus quaterna
Mutavit. O quae diceris omnium
Amara morborum eluere efficax,
  Si non mei, laudanda saltem
    Virgo tui miserere vatis!
Quid in propinquo concinit angulo?
An sponte motae sunt citharae fides?
  An febris immigravit illi?
    Atque ideo lyra palpitare
Audita filis acre trementibus!
Amplector omen: prosilio toro.
  Si nec vacillanti labat pes:
    Signa patent manifesta rerum.

Lyr. Lib. II. Ode XLV.

Ad Mauritium Rosam tribunum belli.

Qualis intrasti, Rosa, nudus orbem,
Talis exibis; propior nocenti
Hoc tamen furi, rapies sub umbras
    Lintea tecum.
Et vacas lucris, et adhuc recentem
Adiicis praedam veteri rapinae!

Nec tuum sentis opibus malignis
Crescere damnum!
Quidquid accessit cumulo priori,
Demitur menti. Minuit cupido
Parta, non auget. Petis esse dives,
Abiice merces!
Non nocet nullas habuisse gemmas;
Clamat ad stivam residens arator;
Consul agrestem subito vocatus
Ante iuvencum.

Lyr. Lib. III. Ode VII.

Ad D. Virginem assumptam, in eius pervigilio.

Quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Cant. 8.

Quo die terris properans relictis
Tota migrasti super astra, Virgo,
Floribus stratum tibi tergus incur-
vavit Olympus:
Dulce, te visa gradiente, caeli
Carmen auditum resonare: „Qualis
Ista per nigrae loca senta silvae et
Horrida tesqua,
Qualis ascendit Dea! tota pulchra
Gaudiis gemmat liquidis, suoque in-
nixa Dilecto, volucres per auras
Floribus halat!
Talis in seram, sua regna, noctem
Luna cum venit, tenuatur Arctos;
Pallet Arcturus, positoque ferro
Languet Orion.

Talis electi speciosus oris
Phoebus, Aurora lacrimante, ridet,
Quando cristatis avibus coruscum
Mane precatur."
Inter has voces, magis elevata
Brachiis Nati, superas id omne,
Quod Deus non est, animumque toto
Numine mergis.
Merge: dum dulci maris e profundo
Quod superfusum bibis, una saltem
Gutta distillet lacrimasque nostri
Temperet orbis.

Lyr. Lib. III. Ode X.

Ad Franciscum Ragusium Edmundi Ragusii Fr.

Symbola Pythagorae.

Vile ne fiat tibi Numen usu,
Cum nihil maius generetur ipso.
Ne Deum caeles, digitoque portet
Annulus haerens.
Fervidam spumis cave laesus ollam
Concites; non est fodicandus ignis
Ense. Sopita cineres quiescunt
Tutius ira.
Dura constanti supera labore;
Coepta successu properanter urge:
Ut nihil faecis bibiturus in cra-
tere relinquas.
Urbium nolis minui coronas.
Legibus pulchre redimitur Ara;
Lege firmantur sacra; lege cives,
Lege senatus.

Publico nunquam gradiere calle.
Nam minus peccat minus usitatus;
Plebis exemplo via trita semper
Fallit euntem.
Empta cum luctu noceat voluptas,
Criminis serum fuge poenitere:
Ne quidem gustes epulans nigras habentia caudas.
Allium raro, pia farra saepe,
Cor edes nunquam. Remove dolorem
Laetus et diris iecur ulcerosum
Linque Mycenis!
At nec infamis tibi foeda mensae
Lucra nummorum sapiant avaro:
Nec manu sumas aliena quondam
Pocula laeva.
Impiger cursus, cave transilire
Ante suspensam pedibus stateram!
Triste fas laesum. Nihil est iniquo
Iudice peius.
Laetus arride speculo nec horre!
Quod negat Natura, velis negatum.
Invidens hosti tamen abstineto
Vellere barbam!
Dis merum liba! Bene di precantur
Mentibus gratis cumulantque dona.
Cum tonat caelum, venerans memento
Tangere terram!

Lyr. Lib. III. Ode XV.

Ad Reginam caeli.

Cum eam serenissima electrix Maria Anna, ad eiusdem statuam in foro Monacensi erectam, publicis votis festoque symphoniae apparatu, sub occasum solis, pie devenerar etur.

Anno M. DC. XL.

Descende caelo, filia principis,
Pulchrosque gressus figere Boicis
Dignare terris: qua vocatae
Austriacas Marianna palmas
Tendit, columnam, Virgo, supervola!
Tecum solutis alma Salus comis,
Et Pax ligatis ac verendo
Cana Fides, Pietasque vultu,
Comesque vadat publica Faustitas,
Et plena cornu divite Copia:
Quam naris emunctae Voluptas
Inter eat graviore passu.
Venit. Serenum fulgure scinditur.
Venit. Canoras iungite tibias:
Albaque dignatam videri
Nube super, celebrate laeti
Cives patronam! Seu rapidus calor
Exurit agros, seu nimio seges
Humore suffocata stertit,
Seu penitus glacialis imber
Messis iuventam stravit et ultimis
Afflixit oris, seu fera cladibus

V. 15. *dignatam*] *dignantem* Io. Conr. Orell.

Bellona vestram, seu veneno
Atra lues populatur Urbem:
Quae tecta pestis cunque subiverit,
Morbis et armis Diva medebitur,
Saevumque vel diffinget ensem in
Sarcula, frondifluamque falcem,
Vel in feroces Massagetas retro
Suecosque vertet. Mox melioribus
Ridebit astris purus aër,
Et Zephyrus recreabit arva.
Tum vero grandes efferet altius
Ceres aristas mellaque lubricis
Labentur e truncis et omnes
Sparsa ruent peragrare vicos.
Ripas inaudax Isara transgredi
Intra modesti fluminis alveum
Tenebit undas, ni refuso
Lacte fremat, tumeatque musto.
Audimus haec et supplice praesidem
Nondum sonamus carmine Virginem!
Io, tubarum clangor aera
Rumpat, io resonent choraulae.
Ordimur: „O cui dimidii sumus,
Genuque strati fundimur in forum
Latè coronatum lucernis,
Vespere iam numerante stellas:

V. 29. *Massagetas*] *Massagetos* Io. Conr. Orell.

V. 40. *musto*] Sic edd. Monacc. 1. 2. et Col. 1. 2. — *mulso* Io. Conr. Orell.

V. 45. *dimidii*] *dimidium* Io. Conr. Orell.

Occurre votis, et Bavaros duces
Affla benigni Numinis halitu!
Tu robur afflictaeque scutum et
Dulce decus, patriaeque mater,
Iuditha nostrae pulchra Betuliae:
Tu spes senatus, tu populi salus,
Ducisque, natorumque et Urbis
Gloria laetitiaeque causa.
Te Gothus hostis, te mare Balticum
Marisque rector barbarus horruit.
Cantamus audiri per axes
Aetherios et utrumque solem.
Te mollis Indus, te Brasili quoque
Noscunt et auri dives Arabia,
Inops et umbrarum Syene.
Te ruber Oceanus tepenti
Adorat unda: te canit ultima
Et prima tellus: te colit Aethiops
Crispum renodatus capillum, et
Ora niger, niveusque dentem."

Lyr. Lib. III. Ode XL.

In Puerum Iesum et eius Virginem Matrem.

Carmen seculare, cantatum Calendis Ianuariis.

Formosum, Pueri, dicite Filium,
Matrem virgineam dicite, Virgines:
Dignatosque sonari
Summis tollite laudibus!

V. 68. *Ora — dentem*] Sic editt. omnes. — *Ore — dente* Io. Conr. Orell.

Hunc laetum foliis vertice consitis:
Nam palmae virides assimulat comas,
  Fragrantemque racemis,
    Et myrrha bene flebili.
Illam nexilium stemmate siderum
Ornantem, et roseis tempora taeniis,
  Et stillantis inunctam
    Nardi divite spiritu.
Hic vobis, Pueri, chrysolithum dabit,
Candentemque novo nomine calculum;
  Vestris illa, Puellae,
    Ridens annuet osculis.

Lyr. Lib. III. Ode XLVIII.

Illusio poëtica.

Quis meum supra caput urget auro
Illitus pennas? quis ephebus astris
Concolor nexam mihi cumque fingit
                Ferre coronam?
Ille diductis revolutus alis
Ter quater plaudit: taciteque propter
Verticem lapsus, posito renidens
                Stemmate sidit.
At simul vano manus ausa motu
Tendit in laurum; fugit et cachinno
Lene succusso puer ales elu-
                ctatur in altum.
Quisquis, o nequam puer, inficeto
Me ioco ludis; quod habes, habeto
Munus et serva! Tamen ista nunquam
                Serta petivi.

Non minor vates ideo canendus:
Si, quod attondent folium capellae,
Vile contemnam, nec amicta circum
Tempora gestem.

Lyr. Lib. IV. Ode VII.

Ad Laurentium Adonem.

Hodie vivendum.

Vivis, an differs leve munus aurae?
Sed spei telam male texis, Ado:
Fila cum vitae Lachesis peractae
Scindit et aufert.
Curta sub terram properatur aetas.
Quae dies non est homini suprema,
Alitum ritu volat et sagittae:
Ultima stabit.
Durat in fatis semel interire:
Durat hoc unum. Subeuntis ipsi
In sinu causam geniale Mortis
Semen habemus.
Illa naturae sociata nexu,
Corpus hoc instar comitatur umbrae.
Vesperam vivis? Fit et umbra maior;
Denique vera,
Qualis effosso graditur sepulcro;
Qualis et Manes levis inter errat.
Ter fuit praeceps, hiemante barba,
Nestoris aetas:
Mansit extremum solido rigore
Curva: nec primum potuit reflecti
Nestor in florem, tremuloque fossam
Vertice plausit

Frangimur tandem puteo frequentes
Urcei. Si sum tibi consul, Ado;
Protinus vives: mala lux sequetur:
Optima nunc est.

Lyr. Lib. IV. Ode XXVI.

Ad Io. Albulam.

Virtutis Genius.

Virtus, aetherei conscia sanguinis
Astrorumque soror, non amat, Albula,
Inter serpere fungos
Et declivia vallium.
Semper summa petit, quo neque nubium
Nautam, Romulei flammigerum Iovis
Pleno concita vento
Transfert penna satellitem.
Illius labor est nobile pabulum:
Acclinis clipeo porrigitur quies;
Accenditque soporem
Belli dulce periculum.
Iam cum sidereis otia fratribus,
Iam cum fulminibus proelia dividit;
Lustralique Tonantis
Gestit sulfure spargier.
Supra fata rapax tollere se, domat
Formosis humilem sub pedibus metum.
Si Fortuna lacessit,
Constans adiicitur sibi.
At, cum pulvereo fumat ab aequore,
Corpus non gelida fluminis abluit:
Sed sudore lavatur,
Neglectu Dea pulchrior.

Auri nulla fames, nulla sitis lucri.
Dedignatur humum figere spiculis.
Arcus tota cupido
Metam fertur in arduam.
Promittente necem vulnere gloriae,
Migrat cum domino fida comes suo:
Heredique superbit
Linqui ceu spolium pigro.

Lyr. Lib. IV. Ode XXXVI.

Melancholia.

Semper ego inclusus Germanae finibus orae,
In Bavara tellure senescam!
Tristibus imperiis spatio retinemur in arcto,
Et curtum male perdimus aevum.
Atqui vincla licet rupto dissolvere nodo,
Et clausas diducere turres.
Graeculus effugiens aliquis Minoïa regna,
Ceratas sibi sumpserat alas.
Sed neque fallaces ventos tentare necesse est
Lapsuris super aequora pennis.
Tota mihi quamvis adeo Germania carcer,
Deterius quoque carcere corpus:
Libera Mens tamen est. Ubi vult, habitatque volatque.
In pelago non impedit Auster:
In terris non tardat obex: transcendit et Alpes
Nubiferas ac sidera pulsat.
Accedit Phoebi donum, divina poësis.
Hac fretus, velocior Euro,
Euri nascentis patriam cunasque videbo,
Aurorae rapiendus in ortum.

Lyr. Lib. IV. Ode XL.

Ad Virginem Matrem.

Calendis Maiis. Anno MDCXLI.

O quam te memorem, Dea,
Vitae praesidium et dulce decus meae:
Quae tandem niveo redux
Lunae curriculo, pristina languidae
Menti gaudia sufficis.
Iam, quae tarda pigro torpuerat gelu,
Altum vena micans salit.
Rursus tento lyram, certaque mobiles
Depectit radios manus,
Et carmen tremulum, Virgo, tibi ferit.
Nil gratum, sine te, meae
Respondent citharae: sed simul halitum
Persensere tuum fides,
Vernant Aoniis continuo rosis:
Et fontem prope limpidum,
Luctu deposito lenius insonant.
Auritum nemus assilit.
Sic o saepe veni Diva, decentium
Mater blanda cupidinum:
Et longas reseca Pieridum moras.
Tecum vivere amem libens:
Et, si Fata vocant, non metuam mori.

Lyr. Lib. IV. Ode XLVII.

Scripturus historiam sui temporis,

Veritati

nudam aram ponit. MDCXLII.

Qualem Noëmus montibus altior
Enavigatis, Oceani simul

Subsedit aestus, fertur aram
Ex rudibus statuisse saxis:
Hic pono supplex, o Dea, pulchrius
Soluta crines, rustica Veritas.
Non Atticum promitto marmor
Arte Scopae variatum et auro,
Superque eburni pocula Mentoris.
Natura cultu simplice gratius
Divos honorat, prona far vel
Viva focis adolere thura.
Quamvis Sabaeo funera misceas
Odore, foetent. Quidquid in ambitum
Libido cogit seu labore
Seu pretio, minus enitescit
Metu veneni. Cinnamei quoque
Incensa libri pagina proditur
Halare suspectum vaporem.
Difficile est, volitante fumo
Nares aduncas demere posteris.
Impune Manes subiiciunt sibi
Moresque censendos supinant
Factaque discutiunt avorum.
Dicenda pictis res phaleris sine
Et absque palpo. Discite strenuum
Audire verum! Me sciente
Fabula non peragetur ulla.
Non est meum descendere ad oscula
Impura Famae et fingere bracteas;
Larvisque luctàri superbis
Aut nimias acuisse laudes.
Adversa quod si sors mihi durius
Nunquam ferendis conditionibus

Obstet, reluctantemque cogat
Non nisi delicias loquaces
Et laureatas scribere literas;
Sparte relicta, corripiam silens
Iniqua tum vindex amaro
Secula despiciamque risu.

Lyr. Lib. IV. Ode XLIX.)

Ad Virginem Matrem.

Pro euthanasia,

sive felici morte.

Carmen votivum *).

O Diva, vitae praeses et altera
Spes vatis; olim cui mea, me super
Servum dicavi: da, prinsquam
Fata citent oculosque claudant;
Da poenitentes et lacrimas sacro
Dolore laetas, in mare Creticum
Quascunque proiectura noxas!
Tum tenera mea fila dextra
Abscinde, Virgo, neu fragilem colum
Tres fabulosae praecipitent anus.
Diffido. Tu devolve nostram,
Iure tuam potiore lanam!
Hoc esto votum: sic, precor, ultima
Ex cordis urna vita fluat: meus

*) Quod eleganter in vernaculam linguam convertit Cl. Silbertus in libro, qui titulum prae se fert: Dom heiliger Sänger p. 329 sq.

V. 12. *tuam*] *tuo* perperam Io. Conr. Orell.

Sic stagnet in maioris Aevi
Oceanum, gracilesque bullas
Aeternitati misceat Isara.
Sic elabora, sic bene praepara
Perambulandum luctuosae
Mortis iter; placidoque somno
Compone Manes! Hi voveant opes,
Aedemque ponant: caedat hic impares
Agnos, pavimentumque sparsis
Visceribus linat hostiarum:
Ast ipse supplex, ipse ego taeniam
Gestabo vittasque: ipse tibi cadam,
Evincta circum fronde lauri
Victima, procubitura ad aras.

Ex Epodon Libro Ode X.

Corona regia tegumentum humanae miseriae.

Cum anno MDCXLI ex Hispania, Italia, Anglia, Scotia et Hibernia crebrae regnorum seditiones nuntiarentur.

Esse quid hoc dicam? laceri quod fragmina mundi
In ipsa regum torqueat
Martius ora furor!
Inde cicatrices diademataeque resultant
Molesta frontis tubera
Purpureaeque notae.
Quae licet a gemmis, Indorum more, coruscent:
Non et minoris saucio
Causa doloris erunt.
Ut video, non ad splendorem inventa corona est.
Necessitatis vinculum
Vulnera facta tegit.

Imposito reges exorna Iuppiter auro!
Tu, Phoebe, lauro mollius
Tempora cinge mea!

Sylv. Lib. V. Ode VII.

Ad Andream Plessulum.

Strena Ianuaria An. MDCXLII.

Desideratum, Plessule, barbitum
Transmitto munus. Fulgida Cynthii
Per tela corytonque et arcum et
Caesariem citharamque iuro:
Hoc ipse lusi nuper apud duces.
Hoc maximorum flumina montium,
Oenumque Rhenumque et frementem
Detinui Venusinus Istrum.
Tu, si imperito pollice verberes,
Chordaeque tanquam graculus obstrepant
Vel anser, ingratusve pavus:
Immerito cave conqueraris
Fecisse fucum. Nam neque qui suum
Habere Turco misit acinacem,
Misisse Scanderbegus una
Ense manum memoratur usam.

Nicolai Heinsii Dan. Fil. *).

Eleg. Lib. II. 2.

Magni Etruriae principis Cosmi Medicei natalis decimus.

Sacra dies, salve; decimam cui libat aristam
  Nominis Etrusci maxima vota puer;
Spes totas, fatum omne sui cui credidit Arnus;
  Itala laetitiam credidit ora suam.
Thura tibi Pylios redeuntia dentur in annos.
  Tu modo magnanimum fac tueare caput!
Cosme, tuum nomen, rebus fatale gerendis,
  Principis in famam te iubet ire boni.
Sanguinis auspicium nec habes leve. Sanguis utrimque
  Laudis agat stimulo pectora, Cosme, suae.
Hoc pater, hoc patrui, gens hoc Medicea requirunt:
  Gloria Feltriacis hoc pia mater avis.
Iam tibi credenda est Etruria. Respice, quanti
  Ponderis hos humeros, quam grave spectet onus!
Fertilis ingeniis Etruria, fertilis armis;
  Terraque Palladia non semel arte potens.
Accedat meritum natalibus. Indole praesta,
  Ne debere atavis te videare tuis!
Sceptra paret virtus. Aliena turpe putandum est,

*) Nat. Lugduni Bat. d. 29. Aug. a. 1620; def. Hagae Comitum d. 7. Oct. a. 1681.

Ipse tibi possis quod dare, ferre manu.
Moribus imperium, non sanguine prima mereri
Gloria; ne gratis constet emendus honor.
Moribus imperium redimas bene. Publicus arcte
Hoc sibi te nexu conciliabit amor.
Ire per annales, per apertum laudibus orbem,
Aeternaque iuvet posteritate frui.
Trita terenda via est. Vestigia, Cosme, tuorum
Adspice: quam deceas, adspice, Cosme, domum!
Parca parem meritis tantum neat aequa senectam;
A virtute petes cetera fata tua.
Per te, iam proavos ubi viceris, incipe vinci;
Et, quae des populo, da tibi frena prius!
Sufficis augurio. Sat Di cavere superque,
Indole ne voveam nobiliora tua.

Petri Iusti Sautel *)
e Soc. Iesu.

Examen apum in Amoris pharetra mellificans.
Lus. poët. allegor.
Lib. I. Eleg. 3.

Lassulus et studio iaculandi et lassulus aestu,
Quaerit ubi iaceat molle reclinis Amor.

---

*) Nat. Valentiae in Delphinatu anno 1613. Ob. Turnonii d. 8. Iul. 1662.

Fons erat; et gelidi circum gemmantia fontis
  Gramina nexilibus myrtea sylva comis.
Mollis humus varios in serta nitentia flores,
  Et folia in placidum sufficit herba torum.
Huc postquam Veneris soboles pharetrata recessit,
  Exuit ex humeris, quae gerit arma, suis.
Suspenditque habiles, quos ante tetenderat, arcus,
  Hic ubi mellificas silva fovebat apes.
Improbulusque puer, qua sessilis herba, resedit
  Inque soporifero se dedit esse toro:
Dumque quot ipse faces, quot iecerit ipse sagittas
  Et numerat domina parta tropaea manu:
Languidulis inopina quies subrepsit ocellis,
  Quam ciet irriguae somnifer error aquae.
Quamque invitat apis, tremula dum voce fritinnit,
  Dumque satas circum basiat illa rosas.
Iamque reclinatum placido lenimine corpus,
  Intima mulcebat lapsus in ossa sopor.
Agmen apum tonso per amoena vireta roseto
  Dives ad ambrosium forte redibat opus.
Inque sagittiferam populatrix turba pharetram,
  It, referens multo cruscula plena thymo.
Nimirum aequalis specie delusa figurae
  Se putat in proprios involitare lares.
Hic latet et liquidum stipat levis hospita rorem
  Et pharetram Hyblaeis tingit et arma favis.
Iamque fatigatos somno reparaverat artus,
  Aliger et Cypriam cogitat ire Paphon.
Ergo cavam ramo, cui credidit ipse, pharetram,
  Diripit, hanc humeris aptet, ut ante, suis.
Ecce tibi toto volat aëre stridula nubes
  Palantumque errans turba vagatur apum.

Non aliter quam cum tepidis super incubat ovis,
Spemque suae gentis mater amica fovet:
Si quis avem prensurus adit nidoque propinquat,
Evolat et celerem carpit in arva fugam,
Sic Amor armiferae raperet dum pondera thecae,
Exit apis subita, qua data porta, via.
Attonitus puer intremuit subitoque pavore
Excidit e trepida lapsa pharetra manu.
Dum dubitat, dolus, an virtus, an casus, an error,
Impulerit teneros in nova castra choros,
Una levi iaculo puerum violavit Amorem
Et roseam pupugit parva melissa manum,
Sensit, uti tener est nullaque in veste, dolorem,
Terque repercusso subsilit ille solo.
Hic, ego nescio quis, plaga gavisus Amoris,
Risit et arguta voce iocatus ait:
Quae toties laesit, toties quae fixit amantes,
Dextra semel vulnus debuit illa pati.
Florilegae simul ex oculis abiere colonae,
Et simul est pueri iussus abesse pavor.
Attollit puer arma solo, quae lapsa iacebant
Et gravius pharetrae melle fluentis onus.
Auribus auscultat (nam lumine captus utroque est)
Immemor in pharetra si qua remansit apis.
Nulla remansit apis, sed inemta (fidele locati
Alveoli pretium) mella reliquit apis.
Dum fluido abstergit stillantia spicula rore
Et gaudet mellis munere laetus Amor;
Dumque favos Cupido pueriliter ore ligurit
Et lingit bibulis deflua mulsa labris:
Blanda quies mihi saepe meos premat, inquit, ocellos;

Dummodo sic vigiles mellificetis apes.
Inque novam subeat deducta colonia cellam,
Penset ut hospitium melle melissa suum.
Non tamen haec nobis gratis concessa voluptas;
Namque dolore gravi vulneris emta venit.
Pectora vulneribus quis non ferat obvia nostris,
Quae lita mellito nectare tela ferent?
I procul, exclamat, qui forte astabat, Amyntas,
I procul atque alio vulnera verte, puer!
Nam quamquam madeant tenui dulcedine mellis,
Plus tua, plus multo spicula fellis habent.
Scilicet has agitat rerum natura choreas,
Hic rotat humanas mutuus ordo vices.
Ut dulcoris amarities, ut gaudia luctus,
Utque voluptatis sit comes usque dolor.
Succedit nocti ipsa dies; nox ipsa diei,
Iungitur et sociis spina marita rosis;
Sorte pari sese excipiunt dolor atque voluptas,
Alteraque alterius cernitur ire comes.

Ferdinandi Lib. Bar. de Furstenberg *)

ad Iacobum Wallium

de morte Sidronii Hosschii **).

Etsi me, Walli, patriis excedere terris
Et procul Angariae collibus ire meae,
Et maris insuetas ausum dare vela per undas
Ardentesque gravi sole secare vias,
Lydius Hesperidum Tibris regnator aquarum
Et septem geminis Urbs tenet alta iugis,
Alpinaeque nives ac nubifer Apenninus
Et pia Tyrrhenae vota morantur aquae:
Ut neqneam Tungros et pulchrnm visere Mosam,
Et praesens maesto solvere iusta rogo,
Et terrae tumulo componere vatis amici
Relliquias nostris irriguas lacrimis:
Non tamen exstinctum miseris urgere querelis,
Iustaque, qua fas est, reddere cessat amor.
Nnnc firmata subit studiis concordia nostris
Et desideriis invida fata meis.

*) Nat. Bilstenii in Westphalia a. 1626. Hic vir eximius, qui ob insignes animi virtutes summaque de literis et ecclesia merita anno 1661 ad dignitatem Principis et Episcopi Paderbornensis ac Monasteriensis evectus erat, obiit d. 26. Iun. a. 1683.

**) Usus sum edit. Amstelod. ap. Dan. Elzevir. 1671. 8.

Nunc mandata lego, quae te mihi scribere iussit
  Et moriens lingua deficiente dabat.
Quin etiam violis et lauri frondibus urnam
  Halantem fictis ponimus exuviis.
His etiam flores, vitae monumenta fugacis,
  Addimus, albenti lilia mista rosa.
At circum Latii, doctissima turba, poëtae
  Aonia feriunt carmina maesta lyra.
Quos praeit ereptum lugens Elegeïa vatem,
  Secula cui nullum nostra tulere parem,
Postera vix sperent; quo vindice desiit esse,
  Quod fuerat, Paphiae lena comesque deae.
Illa igitur squalet, quo nos, confecta dolore,
  Et queritur nostris saucia vulneribus.
Ipse etiam fletu tumulum dignatur inanem
  Chisius, Ausoniae gloria prima togae.
Et gemitu manes ciet et Permesside lympha
  Spargit flebilibus marmora scripta notis:
HOC MERUIT IUSTI MONUMENTUM BELGA DOLORIS,
  PROXIMUS INGENIO, CULTE TIBULLE, TUO.

Interea curis liber mortalibus errat
  Hosschius, Elysium qua facit umbra nemus,
Qua Zephyri blandis immurmurat aura susurris
  Et viret intonsis laurea silva comis;
Qua saliunt vitrei per amoena rosaria fontes
  Et praebet faciles florida ripa toros.
Illic divinos inter considere vates
  Gestit et heroum proximus ire choris,
Et modo cantatos suspirat numinis ignes,
  Virginis et grato carmine laudat opem.

Et modo tot vitae, quibus ut mare volvimur, aestus
Gaudet inoffensa se superasse via.
Et modo commendat faciles miserescere Divos,
Dum Petri lacrimis miscuit ipse suas.
Denique quae vovit Leopoldo plurima, votis
Exorat melius prosequiturque suis.
Illinc, si nostri tangit te cura, nec omnis
Excidit oblito pectore suetus amor,
Aspice perpetuis lacrimarum turgida rivis
Lumina et exequias, docte poëta, tuas!
Aspice ut immensum tua gloria lata per orbem
Transvolet Eoas Hesperiasque domos;
Ut male neglectas, monumenta perennia, Musas
Wallius indignis vindicet a tenebris;
Wallius, Aonidum post te non parva Sororum
Cura, tibi quondam, nunc mihi primus amor!
Quam pius ille manu fugientes clausit ocellos
Et summis animam legit anhelitibus!
Quam pius aeternis mandat tua nomina chartis
Et damnat lacrimis impia fata suis!
Scilicet ereptum sic tristis Naso Tibullum
Luxit et Orpheam Calliopeia necem.

Ad Ioannem Rotgerum Torckium,

Praepositum Mindensem et Canonicum Paderbornensem ac Monasteriensem.

De Aeneae statua, Laurentii Bernini opere, in hortis Burghesiis extra portam Collinam.

Torcki, noster amor, doctarum prima Sororum
Gloria, spes patriae magna decusque tuae,

V. 68. In Hosschii Carminum editt., quibus haec elegia praemittitur, exstat *Calliopea*.

Aspice Bernini docto spirantia caelo
Marmora, Phidiaco par opus ingenio!
Aspice Troiugenam curva cervice ferentem
Et patrem et profugos, sacra paterna, Deos!
Has pius Aeneas, parvo comitatus Iulo,
Subtrahit incensae relliquias patriae.
Quis dolor e muto ducit suspiria saxo!
Quis in inflexo vertice regnat amor!
Ut lapis ipse suae praesagus fata Creüsae
Sentit et impositum ferre laborat onus!
Et trahit Ascanium flentem! Comes ille paternae
Non potis est aequis passibus ire fugae.
Ut miserans captae fumantia moenia Troiae
Effigies tantis ingemit aegra malis!
At nè Berninus vocem daret arte querelis,
Obstitit infandus, qui premit ora, dolor.

Alexandro VII. Pont. Max.,

tertium Pontificatus annum feliciter auspicanti.

Laeta dies rediit, qua te rex aetheris alti,
Sancte pater, magnum misit in imperium:
Et terris dum pulsa lues, tibi tertius annus
Illuxit faustis candidus auspiciis.
Prima fames Latium, te principe, liquit et Urbem
Externis pavit frugibus alma Ceres.
Iam nunc Adriacis classis tua iuncta carinis
Hellespontiacae claustra refringet aquae,
Interea sacras voti rea fundit ad aras
Ingenuo tales pectore Roma preces:
De nostris, pater alme, tibi Deus augeat annos,
Si servata tuo munere vita mea est.

In eiusdem effigiem marmoream,

opus Laurentii Bernini equitis et sculptoris egregii.

Spirat Alexandri vivus de marmore vultus,
Nullus adhuc potuit quem simulare color.
Par animo siquidem facies pigmenta recusat
Et melius niveum marmor utrumque refert.

Iulius Caesar,

iniuriarum immemor.

Omnia conservat memori sub pectore Caesar;
Sola sed in ventos, quae mala passus, eunt.
Mnemosynen alii laudent; me iudice pluris
Sic oblivisci, quam meminisse fuit.

Renati Rapini *)

e Soc. Iesu

Ecloga IV.

Nobilis adolescentis praematurum obitum deplorat poëta.

Exstinctum dulcis primo sub flore iuventae
Alphonsum, magno fuerat qui carus Iulo,

*) Nat. Turoni. Obiit d. 17. Sept. a. 1687.

Ilius, Alphonso summe dilectus, et Almon,
Ambo pastores, annis florentibus ambo,
Montibus in patriis alterno carmine flebant,
Primus ubi gemitus aegro sub' corde repressit,
Rupibus haec maerens Almon iactabat et auris:
    Quo ferar? Aut quae me accipiant secreta vagantem
Antra, quibus iusti causam narrabo doloris?
Nam postquam rigidi dura inclementia fati
Eripuit nostri Alphonsum solatia ruris
Desperem; quid enim misero mihi deniqne restet?
Ille meos habuit, fuerat qui dignns, amores.
Illi, quod poteram, dnm viveret, aurea mala,
Aurea mala mei longe lectissima ruris
Donaram, puero Lycidas donata dolebat:
Et sibi quamquam eadem donari mala rogaret,
Non tulit Alcinoë, poterat quae digna videri.
Solus erat, nostra Alphonsus cui dona parabam.
Ah! puer alme, tuo nos ruraque funere perdis.
Triste satis praeceps effusa grandine nimbus,
Triste rosis urens Boreas, triste imber aristis,
Tempestas ratibus, nostro tua funera ruri.
    Ipse tuo nuper pendebam laetus ab ore,
Cum mihi Romani laudabas pascua ruris,
Et pingues Tiberis ripas campique Falisci
Felices herbas et dulcem Tiburis umbram,
Unde olim Ausonii primum venere coloni,
Et Remus et frater, campis assueta iuventus,
Pastores quondam, nt fama est, oviumque magistri.
Sed quid ego haec iterum, nunc tantum ingrata revolvo?
Quin potins nemorum secessus inter opacos

Solus amem longis consnmere fletibus aevum!
Forte meo vel erunt lacrimae medicina dolori.
Ante tamen myrtum et ferrugineos hyacinthos
Et casiam, et violas et candida lilia carpam,
Et cineres, Alphonse, tuos ornabo supremis
Muneribus, spargensque rosas altaria circum
Plorabo et tenui plorans cum murmure dicam:
Floribus his suprema tibi iam munera solvo.
His Almon lacrimis, his Ilius ora rigabat.
Nam quid ego invisae durem fastidia lucis?
Postquam crudeles Superi, crudelia fata
Alphonsum rapuere, mori me denique cogis,
Nuper eras, qui vita, mei nunc causa doloris.
Rumpite pastores calamos, date carmina ventis,
Alphonsus periit, non fert iam carmina tempus.
Ille dabat calamis animos cantusque movebat:
Illi et erant calami et cantus et carmina curae.
Vidi ego, caelesti quos nectare nuper alebant
Pierides, Clarii sub vertice montis olores
Et gemere et niveo plumas avellere dorso;
Turbatisque ferunt errasse per avia castris
Rupis apes Clariae, sacro quae melle beatos
Saepius Aoniis vates pavere sub antris.
Nam Musis ut apes, Musis ut amantur olores,
Te, Mancine, et apes et amarunt te quoque olores.
Et tua Pan magnus, Franci Pan arbiter orbis,
Et fidus Pani tua funera sensit Iulus.
Senserunt Nymphae, senserunt maxima Divum
Numina, quae magni Panis delubra frequentant.
Illum et desertis flevit sub rupibus Echo,
Fleverunt maesti fontes et murmure rauco
Narravere suos offensa ad saxa dolores.

Flevistis Zephyri et singultibus interruptis
Musarum exstinctos suspiravistis amores.
Ah miserande puer! Postquam te fata tulerunt,
Tantum per silvas et per deserta locorum
Ibo: meis fontes lacrimis et flumina crescent.
Alphonsum fontes, Alphonsum flumina flebunt.

At Lycidas, puero qui tum suprema parabat,
Mecum, ait, o pueri, date rura et spargite flores
Alphonso: Alphonsus fieri sibi talia mandat.
Hunc volucri raptum vidi super aethera curru.
Vesper erat caeloque rubens iam luna sereno
Undique noctivagos stellarum accenderat ignes:
Cum tenuem valle ex ima se tollere fumum
Aspexi et longo per caelum albescere tractu.
Exspectabam animi dubius, quid signa ferebant.
Nec mora, sidereus pictis exercitus alis,
Caelestes forma pueri toto aethere visi,
Impositi Zephyris liquidas volitare per auras
Et mirum in morem lato proludere caelo.
Tum coetu in medio Alphonsum super astra volantem
Vidimus insignem radiis et luce coruscum.
Alphonsum interea nubes auraeque sonabant,
Alphonsum magno resonabat murmure caelum.
Ipse autem caelo respectans laetus Amyntas
Exclamat. Superi nunc o! nunc visa secundent
Praesentes, tanto post fata sit omine felix
Alphonsus, caeloque bonus nos spectet ab alto,
Morem sideribus si quando imponat et astris.

Credita res laetis pastoribus: illa per agros
Fama volat, totis pastorum carmina silvis
Certatim Alphonsum celebrant ad sidera raptum.

Ad Cicadam.
Od. III.

O quae virenti graminis in toro,
Cicada, blande sidis et herbidos
Saltus oberras, otiosos
Ingeniosa ciere cantus.
Seu forte adultis floribus incubas,
Caeli caducis ebria fletibus;
Gaudesve persultare campi
Graminei virides per undas:
Seu voce concors accinis aemula,
Pagi eruditas inter arundines;
Aut provocatos cantilenis
Agricolas animosa vincis:
Seu per loquaces garrula rivulos
Stridore rauco ludis agrestibus
Lassis fatigatisque bobus
In medio modulamen aestu:
Exaggerati seu tibi nectaris
Rorem ministris perpluit imbribus
Caelum coronatosque gemmis
Roriferis thalamos adornet:
Ades canenti, dum tibi marmore
Vates perenni carminibus bonus
Molitur immortale templum,
Unde per ora virum volabis.

Adami Widl *)
e Soc. Iesu

Lyricorum Lib. II. Ode XXVII.

Ad nobilem dominum Marcellinum Falconem.

De insigni in passiones ac cupiditates proprias dominio et imperio.

Romanas aquilas, Falco, licet regas
Terrarum dominans herus
Augusto solio tumens,
Quamvis purpureis plenus honoribus
Rex in compita prodeas
Cultus poplite supplicum,
Quamvis in populos imperium feras
Regnis praepositus tribus,
Celso conspicuus throno,
Quamvis multicolor grex famulantium
Te circumfluat agminé,
Et servum obtineas pecus,
Ac multos numeres aere satellites

*) Nat. Monachii a. 1639. Adscriptus Societati Iesu a. 1656, Ingolstadii docuit rhetoricam a. 1673, teste Mederero in Annalibus Ingolstad. Acad. Tom. III. p. 5. Edidit Lyricorum Libros III. et Epodon Librum unum Ingolstad. 1674. 12. et grandium mysteriorum illustrium facinorum maximorum heroum Elogia. Ibid. 1676. 8. Fuit adhuc in vivis a. 1688. Vid. Kobolti bayer. Gelehrten-Lexik. p. 747.

Pluresque undique subditi
Curvo circumeant genu:
Quamvis expedias castra potentia
Stetque exercitus integer
Visis nutibus obsequens:
Quamvis in trabea purpurea nitens
Instar fulguris ignei
Vertas tot populos iugo,
Nil grande aut solidum credito praestitum.
Rex est, qui sibi praesidens
Primis motibus imperat.
Qui sternit Veneris tela domesticae,
Qui foetam tumidis minis
Iram strangulat et faces.
Rex est, quo melior non datur uspiam,
Qui vincit proprium statum,
Naturae indomitam feram;
Qui frenat celerem providus indolem,
Ut primam choleram premat
Et procrastinet impetus.
Iam cautum dominae est. Corpus obediat,
Regnatrici Animae Caro.
Pars serva imperium ferat.
Heres est solii spiritus eminens
Caeli portio nobilis.
Scit se mancipium lutum:
Ancillae peragant vilia munia,
Non sordes dominam decent.
Servi sint dociles heris.
Sub sole hoc thronus est nullibi castior,
Quam qui iure rebellibus
Stricto sensibus imperat.

Lyr. Lib. III. Ode XXIII.

Ad optimum amicum suum.

Ut sibi a falsis hodierni seculi politicis unice caveat.

Ah! fuge crudeles tergo, sed gutture blandos,
Contemne verbosos vades,
Plurima, qui spondent, nec re promissa coronant,
Fidemque pactam liberant:
Qui placido vultu figunt mille oscula dextris,
Et te saliva proluunt:
Qui dubio lingunt conditos melle favores
Aulasque mulcent basiis:
Artifici qui fraude nitent duplicique palato
Linguam gerunt vaferrimam:
Qui vigili mentis rimati lynce medullas
Secreta palpant cordium,
Ceu medicus venam tangens, qui plurima sentit,
Sed pauca verbis indicat:
Quique oculis dubii stellis fallicibus ardent
Laevumque nictant tergore.
Declina pictas volucres picasque loquaces,
Et psittacos et simias,
Qui cochleae ritu gaudent habitare reposti
Latentque sub testudine;
Queis est nulla domi sincera luce fenestra,
Sed plena mens est cratibus:
Qui lingua duplices atraeque insignia bilis
In vultibus circumferunt:
Qui per magnates struxere ad grandia pontem
Altumque rident ceteros:
Qui sua larvatis comentes sensa figuris

Fallunt, sed in silentio.
Turba susurratrix quot foedera sancta diremit,
Vix ipsa non connubia?
In quot amicitias spurio hoc penetrante veneno
Fraterna pax omnis ruit?
Hos fuge, quorum non tibi stat perspecta voluntas,
Quos noveris, nec noveris:
Qui sibi, non tibi praesentes, dum florida sors est,
Suam crumenam nutriunt
Et procul, ut culices, moriente cadavere cedunt,
Aut muscae, ubi mel deficit.
Si flagrat Ucalegon, nullum numerabis amicum,
Se turba, non te quaeritat:
Tempore ceu verno nivibus fervore solutis
Torrens facetus perstrepit,
Ast aestate locus spissis siccescit arenis,
Consumpta cum sunt pocula.
Sic pariter multos parasitos sorte virente
Domi benignos nutries,
Sed tua cum fuerit pinguedine nuda crumena,
Cedent, licet rogaveris;
Emulgere cati nummos, tibi blanda loquentur,
Bolo relato peierant.
Expertus didici pestem suffossaque novi
Sagace fraude pectora:
Novi ego fucatam lanam vafrumque colorem
Fratresque falsi anhelitus:
Novi ego Vulcanos scelerum, mendacia cudunt
Encausta mille fraudibus.
Ne te decipiet gens amplius ista profana,
Si surdus ipse factus es.

Lyr. Lib. III. Ode XXXIX.

Ad Eduardum Mansuetum.

Veram libertatem in vera conscientiae pace consistere.

Non ille liber, qui, quod avet, facit,
Vile ac probrosum mancipium sui,
Qui more se cannae palustris
Circumagit volucrique vento
Partes in omnes fabula vertitur
Ludoque sortis, ceu pila vapulans,
Iam se favori, iam pudendo
Constituit spolium timori.
Non ille liber, qui sinit impetus
Fracto rebelles carcere gliscere,
Primumque non frenans calorem
Indomito fovet igne motus,
Et perfidorum classica Manium.
At ille liber solus et unicus,
Qui fronte gavisus serena
Et placida ditione mentis
Sui gubernat pectoris incolas
Domique nescit iurgia civium,
Virtute qui fretus magistra
Bile caret dominoque nutu
Exuberantem continet indolem,
Ne sepe rupta prodeat in forum;
Qui fronte confisus severa
Ante fremens solium Neronis,
Aut ad tribunal iudicis impii
Tenax honesti perstiterit viri;
Qui morte lucentes secures
Nil veritus gladiosque strictos

Ipsis tyrannis audeat obloqui
Et Aeacorum castra lacessere.
Huic vera Libertas virili
Mente sedet stabilique lingua:
Convulsa quem non turbine Punico
Roma imbecillem repperit aut facit;
Nec ipsa Carthago moratur
Hannibale insuperata saevo,
Ut veritatem dicere nesciat:
Nec ira regum et spiritus arrogans
Depressit unquam, audentiorem
Sed gladius rabiesque fecit;
Quem nec Gradivi tota potentia,
Hastata ferro, nec litui movent,
Tubaeque sublatique in auras
Nobilium fremitus equorum:
Induta centum corpora vinculis
Cui non ligarunt verba, nec indolem
Pugnare promptam cum macello
In media regione mortis.

Petri Francii
Amstelaedamensis *).

Eleg. III. 4.

Ad Amstelam **).

Quae nova sollicitam tentant mihi gaudia mentem,
Visceraque insolitus repit in ima calor?
An dubii sensus specie luduntur inani?
An vero patriae pectus adurit amor?
Sic erat: Amsteliae fastigia cernimus urbis.
O decus, o Batavi gloria ruris, ave!
Ut reducis tangunt animum veteresque sodales,
Et patria et patrii dulcia membra laris!
Sat Gallis Italisque datum est. Sat rudera Romae
Vidimus, aeternae busta rogumque deae.
Nunc libet in patriis agitare recessibus aevum,
Haud procul a ripis, Amstela care, tuis.
Hic dulci addictus studio tacitusque sedebo,
Saeva licet circum classica et arma sonent:
Claraque doctorum repetam monumenta virorum,
Graecia quos, aut quos terra Latina dedit.
Phyllida vel tenui calamo modulabor, agamque
Herboso niveas margine pastor oves,
Heroumve canam Romano pectine carmen,
Tollam et virtutes sidera ad alta tuas.

*) Nat. a. 1645; defunct. 1704.

**) Vid. Eiusd. Poëmata. Ed. alt. Amstelaed. 1697. 8.

Nec, qui septenos praeterfluit agmine montes,
Maius in Hesperiis nomen habebit aquis.
Lentior Hadriacum iam nunc Padus ibit in aequor,
Et fons Euganeus contrahet ora novem.
Ergo erit illa dies, cum te, formose, licebit
Ardua Pieriis ferre sub astra rotis?
Neu referam Batavo sulcatum milite pontum,
Mersaque victrici captaque rostra manu:
Eoasque domos fessique cubilia Phoebi.
Trita tuis nimium puppibus ista via est.
Dura Lycaonii perfringam claustra profundi,
Perpetuam glaciem perpetuamque nivem.
Venturis alios monstrare nepotibus orbes
Me iuvat et populos, te praeeunte, novos.
At tu cantanti, Pater, annue, si tibi nondum
Ille vetus nostri pectore cessit amor:
Intemerata tuos si mens celebravit honores,
Et pura coluit teque tuosque fide.
Te colui, te dilexi, regionibus absens,
Nec mutata suo pristina cura loco est.
Testis erit Rhodanus, testes Tiberinides undae:
Et vidit flammas flamma Veseva meas;
Quaeque Dicarchaea, lascivae, luditis acta,
Oceani neptes Oceanique nurus!
Tu quoque ne dubita pariles, age lenis, amores
(Nam tuus est) vati conciliare tuo!
Non ego prodendas venio speculator ad arces,
Nec mecum insidias tectaque tela fero.
In me, crede, doli nihil est. Meus orat Apollo
Innocuas sedes exiguamque domum.
Iura nec hospitii peregrinus et advena posco;
Sed natalitium, tecta paterna, larem.

Da modo te nostris, da te, pater Amstela, Musis,
  Inque tuo viridem margine sterne torum!
Hic mihi vicina lento recubare sub umbra,
  Hic audire tuae sit mihi murmur aquae.
Haec si praestiteris, structam cadet agnus ad aram.
  Non facit ad nostras victima taurus opes.

Silv. Lib. II. p. 399.

Maximiliano Emanueli,

Bavariae Duci,

S. R. I.

Octoviro et Archidapifero,

Belgii Regii Gubernatori, etc.

Belgica, rectores dum fluctuat inter Iberos,
  Quem petiit voto, quem prece, nacta ducem est.
Turcarum exuviis et Caesaris inclytus armis,
  Gloria magnanimis Maxmilianus avis,
Caesaris Augusti columen, regisque Philippi,
  Qua Bavaros, Belgas iam reget ille manu.
Exultant passim populi, laudatque probatque
  Belgica consilium, rector Ibere, Tuum.
Belgica praesidio, nec non Germania, tanto
  Gaudet et hoc certam vindice sperat opem.
Gentis amor Bavarae, dux optime, gentis Iberae;
  Auxilium Belgis grande future tuis:
Pulvere Caesarei iam dudum cognite belli,
  Cognite prostratris Maxmiliane Getis:
Sentiat attonitus, ceu Thrax, tua fulmina Gallus;
  Nec minus hoc illo laudis ab hoste refer!
Laetus agat Bavarus sopitis otia bellis,
  Et longa per te pace fruatur Iber:

Restet et hoc unum populo certamen utrique;
  Floreat imperio plus hic, an ille tuo.

Epigramm. Lib. I. p. 422.

Vitae et florum comparatio.

Purpurei flores, vitae mortalis imago,
  Quos saepe una dies gignit et una necat,
Crescite, formosi flores, gratoque colore
  Exhilarate oculos, dum viget iste color!
Invalidi nimium flores, quos pondere nullo
  Decutiunt aurae, decutiunt pluviae.
Iste color fragilis nostri nos admonet aevi
  Et monstrat, quam sit vita caduca hominum.
Discite, qui sapitis, mortales, ista tuendo,
  Plus animum vestris pascere luminibus!

Iani Broukhusii
Amstelaedamensis *).

Elegia III. 10.

Ad Ioannem Ulricum Meurerum
in Britanniam abeuntem.

Ibis ad aequoreos, solers Meurere, Britannos
  Visere et adversae rura beata plagae.

*) Nat. a. 1649; defunct. d. 15. Dec. a. 1707. — Exstant eius Poëmatum Libri sedecim. Editore Dav. Hoogstratano. Amstelaed. 1711. 4.

Quae tibi causa viae? Num qui temerarius error
In levibus iuvenum mentibus esse solet;
Multa peregrinis fingens miracula in oris,
Multa sibi terra, multa videnda mari?
An ditescendi magis exitiosa libido
Tam procul a dulci cogit abire lare?
Absit: et in viles animas eat aegra voluptas,
Foedaque cogendae sollicitudo rei.
Te Musae Phoebusque pater, te provida Pallas
Ingeniique vigor nobilioris agunt.
Qualiter Aesoniden niveis nova gloria pennis
Ab gelido Scythici Phasidos amne vocat.
I bone, discendi quo te rapit ardor et alti
Ignea vis animi purpureusque decor!
I pede felici, nec te male fida morentur
Aequora, nec dubiae caeca pericla viae!
Sternat aquas placidi facilis clementia Nerei,
Et Zephyri motam provehat aura ratem.
Mox ubi iam laribus feliciter inde paternis
Redditus, aetatis tempora laetus ages,
Utere Musaeis opibus, fructu utere longo
Tam bene quaesitae, candide Iane, rei.
Aut tu Antenorei divina volumina Flacci
A docta prodes nunc meliora manu:
Aut aliquid proprii meditaberis ipse laboris,
Quod decus a sera posteritate ferat.
Sed quocumque tuae vigilabunt nomine curae,
Ne fueris nomen lassus habere meum.

V. 25. *Antenorei — Flacci*] I. e. Valerii Flacci, Patavio oriundi, qui Argonauticorum carmen scripsit.

Eleg. IV. 2.

In foedissimam tempestatem, qua in navi bellica pone insulam Mataninam iactabatur.

O umbrae nemorum, o molli saxa oblita musco,
Ruraque et uvidulae Naiadum latebrae!
Quando iterum dulci dabitis gaudere recessu,
Otiaque et mentis frangere dividias?
Quando iterum tenues vobis inflare cicutas,
Et tepido agrestem lacte piare Palen?
Sic melius poteram curas mulcere canendo.
Non facit ad mores nautica vita meos.
Felix, qui patrio vitam traducit agello,
Inque una gaudet consenuisse casa.
Illi delicias faciles ignotaque nobis
Gaudia ruricolae composuere manus.
Illi iucundos certant praebere sapores
Uvaque et incurvis poma sub arboribus.
Ipse, ubi sera polo suspendit sidera Vesper,
Vimineis niveas cratibus abdit oves.
Ipse et apum multo foetas examine cellas
Diripit ac dulci nectare dispoliat.
Haec mihi vita foret! pelago nec tristia nossem
Sidera et ingentes caeli hiemisque minas!
Nunc omnes timeo ventos, nunc concita ventis
Nubila, nunc tristes aequoris insidias.
Ah pereat, quicumque rates eduxit in altum
Primus et invito vela dedit pelago!
Quod si mors quaerenda fuit, quaeremus in undis?
Mille modis tellus funera mille dabit.
Vulnera me caedesque prius, prius horrida bella,
Quaeque decet fortes mors violenta viros.

Dii date, ne fato ignavi fungamur inulto!
 Hostibus eveniat sic cecidisse meis.

Iacobi Vanierii *)
e Soc. Iesu.

Ecloga VIII.

Ver.

Tityrus. Menalcas.

Tit. Sollicita quid triste moves sub fronte, Menalca?
Cur loca sola petis? nec quos formosior annus
Invitat, nos inter amas depromere cantus?
Hic viridi rivum propter sedeamus in herba;
Atque renascentis modulemur arundine veris
Delicias: quod enim terras caelumque serenat,
Ver animo tristes poterit depellere nubes.
Men. Hoc neque veris opus, nec carminis: unus Amyntas
Si redeat, laetos poterit mihi reddere soles.
Parebo tamen; et quales fas edere versus
Vere super, gracili tecum meditabor avena.

---

*) Cauxiensis, nat. d. 9. Mart. a. 1664. Ob. d. 22. Aug. 1739.

Tit. Ridet humus veris grata vice: pulchrior alma
Luce micat, neque tam praeceps Sol claudit Olympum.
Gemmea prata virent: teneris se frondibus arbor
Induit: alituum fervet concentus in auris,
Herboso grex ludit agro: communia mundi
Gaudia flebilibus scelus est foedare querelis.

Men. Purpurei redeunt flores et gramina campis
Arboribusque comae: mihi ver non incipit uni.
Nec reduci cum sole redux affulget Amyntas:
Hoc absente, mihi facies tristissima rerum
Semper erit; tepido frigescent omnia caelo;
Et producta dies luctus producet amaros.

Tit. Ponit hiems; gravidoque novas de palmite gemmas
Vitis agit: quid adhuc flores dubitatis odoras
Pandere veris opes? Zephyros audite vocantes;
Purpureosque sinus tunicis evolvite laxis!

Men. Explicuit quae mane comas, rosa vespere languet:
Et pro flore rigens spinis rubus horret acutis:
Humanae fugitiva volant sic gaudia vitae
Et spinas laeso pariter sub corde relinquunt.

Tit. Non alios habuere dies primordia mundi,
Quam quos vere novo sol aureus explicat: orbis
Haec facies nascentis erat; par nubibus actis
Temperies sudique fuit clementia caeli;
Par habitus terrae, prima sic messis in herba
Luxuriabat agris: oculorum gaudia, flores
Humida non alio pingebant prata colore.

Men. Inter odoratos flores quae gutture cantus
Exercetis aves, Zephyro laxata tepenti
Terra renascentis vos fallit imagine mundi:
Nulla parabantur vobis tunc vincula; nullas
Aurea secla virum fraudes et crimina norant.
Omnia nunc sunt plena metus: fallacibus auceps
Vos sequitur laqueis, nos insidiosa voluptas.

Tit. Laeta per arva placet rivum spectare fluentem,
Seu placidas molitur aquas et imagine fida
Exhibet humanos vultus; per prona viarum
Irato seu saxa moram facientia fluctu
Verberat increpitans; et iniquum murmure rauco
Eluctatus iter, querulus circumgemit undis.

Men. Inter amoena fluens, o rivule, prata, querelas
Siste: dolere virum est, quorum fluit inter acerbos
Vita metus: fatis nos obluctamur iniquis;
Tu pronas evolvis aquas; cursuque peracto
Te rursum mare reddit agris: nos hospita tellus
Obruit aeterno post ultima fata sepulcro.

Tit. Tu vegetos herbis animos; tu, rivule, vescas
Et pecori salices alis et pastoribus umbram:
Quam fecere sitim callidissima tempora lymphis
Excutis et facilem rauco das murmure somnum.

Men. Rivule, conspicuas fundum qui purus ad imum
Volvis aquas aperisque sinus, crystalline, nudos;
Hei mihi! cur oculis non sunt ita pervia nostris
Corda virum! Non me fallax lusisset Amyntas.

Tit. Vos quoque praecipites altis de montibus amnes,

Quos vernis alit imber aquis, audire sonantes,
Atque oculis per aperta sequi iuvat aequora, longo
Ad mare circuitu celeres cum volvitis undas.
  Men. Imbre tumens altisque cadens torrentior amnis
Culminibus montem circumtonat, horrida miscens
Murmura; nec vastos tamen obmutescit aquarum
Ad sonitus, qui corde mihi dolor aestuat imo.
  Tit. Sint haec, Daphni, satis, si quos finire canendo
Debueras, aegros alis ipso carmine luctus.

Epigrammata.

Augustus.

Romuleae foret ut gentis sors optima, nunquam
  Vivere, vel nunquam debuit ille mori.

Tiberius.

Dum iuvenem vitiis insignem Augustus adoptat,
  Fit pater; at Romae desinit esse parens.

Vitellius.

Hunc epulo pisces uno bis mille volucrumque
  Apposuisse sibi millia quinque ferunt.
Ne caelum foret alitibus, mare piscibus orbum,
  Clausit inexstinctam mors properata gulam.

Titus.

Orbis amor, princeps, si qua nil forte dedisset,
  Hanc sibi dicebat deperiisse diem.

Cicero ad Caesarem satis se vixisse dictitantem.

Sat vixisse putas: vitam non sole, triumphis
  Sed numeras, visa est si tibi longa satis.
Nil equidem laudi iuvat ultra vivere, Caesar;
  Sed qui vixisti sat tibi, vive tuis!

Augustus moriens ad amicum collacrimantem.

Vita peracta mea est; et si male principis egi
  Personam, lacrima; si bene, plaude manu!

Maximianus cum nimia eius liberalitas redargueretur.

Maximianus, opum largitor, parcere fisco
  Muneribusque modum ponere commonitus:
Sum custos hominum, dixit, non aeris et auri;
  Et sat ero populi dives amore mei.

Iulius Caesar.

E rate descendens Getulis Caesar in oris
  Pronus in humentem cum cecidisset humum,
Ne quid militibus sit res habitura sinistri
  Ominis, ingenio dexteriore cavet.
Africa dives opum, teneo te denique, dixit;
  Et Lybicae amplexum se dare fingit humi.

Scipio accusatus.

Coram plebe suam defendens Scipio causam
  Hac reus impositum diluit arte scelus.
Romulidae, meministis, ea quod luce superba
  Carthago belli me duce victa fuit.

Ergo Tarpeiam simul ascendamus in arcem;
Annua debetur victima sacra Iovi.

His dictis praeeuntem Scipionem secuti sunt omnes; solusque non sine pudore remansit accusator.

Natalis Stephani Sanadonis *)
e Soc. Iesu

Carm. Lib. I. Ode X.

Linguae telis magis patere viros principes.

Indicis frustra nitidum lapillis
Velat augustam diadema frontem,
Et latus stricta truculentus ambit
Cuspide miles.
Regios inter titulos et aulae
Plausum adulantis tibi lingua caecum
Destinat vulnus tacitoque famam
Lancinat ictu.
Davus exiles humilis Penates
Moribus tuto violet scelestis:
Nomen obscurum renuit superba
Tangere lingua,
Saevit in magnos: vetat esse inultas

---

*) Rothomagensis, nat. d. 16. Febr. 1676. Ob. d. 22. Oct. 1733.

Caesarum culpas, sequitur nocentes
Publicus censor graviusque plectit
Nobile crimen.

Carm. Lib. I. Ode XXIII.

Ad Pacem *).

Virgo funestis inimica bellis,
Flecte candentes, bona Pax, iugales,
Et beatorum radiata Divum
Atria linque!
Te nimis duro data praeda Marti
Poscit Europe. Tibi vota Gallus,
Vota certatim tibi mille supplex
Fundit Iberus.
Sponte concordes tibi ponit aras
Potor infidi Thamesis Britannus,
Quique captivos Batavus flagellat
Molibus amnes.
Te vocant Istri domitor Sicamber,
Se subalpinis gelidus pruinis
Allobrox et quem Tagus invidenda
Ditat arena.
Otii blanda vice turbulentos
Pelle vesani strepitus Gradivi,
Et Metum et Curam procul inquietas
Transfer in Arctos!
Iam satis, flamma populante, diros
Hostis infesti tulimus furores,

---

*) „Quum Antoninae Batavorum (Utrecht) de bello componendo ageretur.“ Sanad.

Et superfuso maduere pingues
Sanguine campi.
Saeva non uno Libitina telo
Civibus maestas viduavit urbes,
Stravit et passim vacuo sepultos
Rure colonos.
Nauta non semper timidus perire
Pallet instantem ratibus procellam,
Usque nec pontus fremit aestuosa
Naufragus unda.
Dextera postquam rutilus tonante
Iupiter mundi tremefecit axes,
Saepe depulsis pluvium serenat
Aethera nimbis.
Nunc, ubi vernos Zephyrus tepores
Cogitat pulsa revocare bruma,
Prome formosum caput et iacentes
Respice terras!
Vince discordes animos potentum;
Arma deponant, neque caecus ultra
Obstinet regum furor immerentes
Perdere gentes!
Te suis, Virgo, Lodoix amicam
Sentiat longum populis favere,
Et triumphali placidos in umbra
Exigat annos!
Prosperis magnus dubiisque maior
Casibus, mites oleas cruentis
Postmodum lauris amet irresecto
Iungere nodo!
Audior. Iam se nitidus reclusit
Luce cum multa polus: ora summo

Exeris caelo Dea sospitali
Candida fronte.
Spiceus crines tibi nexus ambit,
Fertili turget manus una cornu,
Alteram faustae modo lectus implet
Termes olivae.
Suavior nunquam croceo refulsit
Quae renascentem vehit axe lucem
Diva, quum prima virides inaurat
Lumine campos.
Iam verecundi sine felle Risus,
Iam Fides et Fas metuensque fraudis
Candor et comis redit innocentum
Turba Iocorum.
Mox viro coniux genitrixque nato
Laeta post multas hiemes recepto
Gestiet plenis tibi grata ferre
Serta canistris.
Te sub arguta resupinus ulmo
Concinet molli Corydon cicuta,
Pacis et nomen repetet sonoris
Vallibus Echo.
Te graves Rixae, Rabies, Tumultus,
Te nigras Dirae fugient sub umbras,
Nec ferox unquam diuturna Mavors
Otia rumpet.

Carm. Lib. II. Eleg. VII.

Martius Coriolanus a matre Veturia victus.

Dum petit excidio Romanas Martius arces,
Et Volscos vindex ad sua signa rapit;
Indomitum quacunque pedes circumtulit agmen,

Antevolans laceris crinibus Horror abit.
Iam iuga Circeii celsis pendentia saxis
Victori famulum supposuere caput.
Longula, Satricumque et tecti pelle Labici
Obsequio ante pedes praeveniente cadunt.
Civibus attonitis pectus pavor anxius haurit,
Et mussant trepidi mente labante Patres.
Mittitur orator, pacem petit. Abnuit asper
Hostis et audaces adiicit ore minas.
Ergo rite sacra velatus veste sacerdos
Volscorum supplex castra inimica subit.
Non illum augusti capitis reverentia flexit,
Sed magis aegrescit vota per ista furor.
Romule, parce virum tentare virilibus armis;
Feminea melius voce subactus erit.
Militat in castris mater tibi, militat uxor;
His armis tumidi concidet ira ducis.
Naturae eloquium est ratione valentius omni:
Quos non tota acies fregerit, illa domat.
Audior. Egreditur portis cum coniuge mater,
Haec natum dictis, haec domitura virum.
Martius, ut notos habitus conspexit et ora,
Currit et amplexu stringere colla parat.
Barbare, mater ait, natumne amplector, an hostem?
Adspicio vultus capta, parensne tuos?
Haesit inops animi et paulum sine voce moratus,
Vincor, ait, mater, qui modo victor eram.
Dixerat evulsisque rapit tentoria signis,
Salvaque depulso Roma timore canit.

Carm. Lib. III. Epigr. II.

In mortem passeris.

Lugete, o Charites, Ioci, Lepores,
Et quantum est volucrum venustiorum,
Et quantum est iuvenum pudentiorum!
Passer, Thyrsidis innocens voluptas,
Unum suaviolum, una cura, passer,
Nunc heu! frigidus inquilinus Orci
Umbris occubuit tenebricosis.
Non illum malus abstulit rapaci
Rostro milvus, aut scelesta feles
Mollem praedam agili occupavit ungue.
Insontem volucrem necavit ales
Implumis, nisi qua leves lacertis
Aptatas gerit hinc et inde pennas.
Nostis quis fuerit molestus ales?
Ipse est pessimus alitum Cupido,
Milvis improbiorque felibusque,
Qui colludere passeri solebat,
Atque una pueri in sinum volabat,
Et circum petulante vectus ala
Quaerebat tenerum ustulare pectus.
Sed victus rabie maligniori
Ipsam funere perdidit volucrem,
Quum posset domino nihil nocere.

Io. Antonii Vulpii *)

Carm. III. 8 **).

Helena senescens.

Europae atque Asiae pestis, quam Troius hospes
  Abduxit casto coniugis e thalamo,
Quam propter saevis arserunt Pergama flammis,
  Et penitus Priami concidit alta domus,
Ut primum in speculo spoliatam flore iuventae
  Conspexit faciem pallidulasque genas:
„Illa ego sum tanto," dixit, „repetita labore?
  Illa ego, quam vellet detinuisse Paris?
O male consumti proceres! male perdite sanguis!
  O Danai, pugnae causa pudenda fuit.
Quo fugit nitor, heu, solitus, Charitesque Venusque?
  Denique, formosae quid superest Helenes?"
Sic ait et canos vellens a stirpe capillos
  Ingemuit, raris non sine lacrimulis.

---

*) Io. Ant. Vulpius, Bergomas, eloquentiae in Gymnasio Patavino Professor, praestantissimis quas curavit Catulli, Tibulli, Propertii, Castilionii, Faërni, Fracastorii, Naugerii, Sannazarii, Vidae aliorumque Carminum editionibus de litteris Latinis insigniter meritus, floruit circa ann. 1710.

**) Vid. eiusdem Carminum Libr. III. Patav. 1725. 4.

Carm. III. 13.

De Melampi fidissimi canis interitu.

Thestyli, coge pecns: non hac dormire sub ulmo,
Dum vigilant fures, invida fata sinnnt.
Occidit ille gregis felix tutela Melampus,
Latrantem rapidi qnem tremuere lupi.
Vos quoque in obscuros nemorum procedere saltus
Parcite oves! Custos dentibus acer abest.
Nnnc decet hibernas insomnem ducere noctes,
O Lycida! Insidiis umbra maligna favet.
Ille minax rictu villisque horrentibus audax
Egit nocturnas pervigil excubias.
Anribus exiguos captantem saepe susurros
Nulla tamen vano moverat aura sono.
At si quis culti saepem tentaverat horti,
Protinns ingenti voce monebat herum.
Nunc miser, heu, vacui per campos errat Averni,
Tollentemque minas Cerberus ipse pavet.
Sed bene consuluit nostro Fortnna periclo,
Quod catnlos utero pulchra Lycisca gerit.
Exstincti de stirpe patris, qui fenore multo
Hinc abigant turpes fida caterva feras.
Interea, totum ne raptor perdat ovile,
Candida, Faune, tuos imbuet agna focos.

Carm. III. 16.

Ad Nearchum,

singulari forma et praeclara indole adolescentem.

O, cui Pieridnm Charitumque favore, Nearche,
Corporis atqne animi contigit omne decus,
Qnum tibi sit facies, qualem sibi malit Adonis,

Concedis casto non tamen Hippolyto.
Hinc de te certant Venus atque innupta Diana:
Utraque sed vano fervet amore dea.
Nempe tibi ante oculos iuvenis formosa pudici
Versantur calidis corpora trita rotis,
Et qui, dum tenera tractat venabula dextra,
Concidit obliquo dente peremtus apri.
Quodque suis nequeant avertere tristia fata,
Nec Dictynna tibi, nec Cytherea placet.
Sola placet, carum quae per mare servat Ulyssem,
Vertice de summi nata puella Iovis.

Carm. III. 21.

Sub imagine Nauceli, portus Naonis fluvii, apud quem olim Bartholomaeus Livianus, fortissimus imperator, celebrem Academiam instituerat.

Olim parvus eram vixque ulli cognitus amnis:
It mea nunc tumido lympha superba pede.
Argutos etenim pavi Naucelus olores,
Qui se meque suo carmine in astra ferant.

Ex eiusdem Carminum Libro novo *).

XII.

De studioso quodam iuvene in patriam reduce, qui in Gymnasio Patavino iuris doctor creatus fuerat.

Compulerat patrios quondam te linquere fines
Pallas, et antiqua ducere in urbe moram,

---

*) Vid. Opere varie volgari e Latine del' Signor Giovann' Antonio Volpi. In Padova 1735. 4. p. 231.

Quae cinere e Phrygio Musis aptissima surgit,
Unde pedem celebres tot retulere viri.
Illic assiduo noctesque diesque labore
Ingenii structae sunt tibi divitiae.
Nunc tandem excipimus toto de pectore cives,
Quos tangit laudum, quos probitatis amor.
Ornatumque sacro laeti spectamus honore,
Et pro te superis cum prece thura damus.
Non etenim haec nomen tibi praemia quaerit avitum,
At virtus proprio lumine clara parit.

XIII.

Poëtarum genus duplex.

Si quemquam frugi fingat pia Musa poëtam,
Qui possit pueris virginibusque legi;
Nec vitiet mentes, castis nec moribus obsit,
Antiqui referens dulcia furta Iovis;
Cui pudor et probitas, cui sit sapientia cordi;
Carmine qui fortes tollat ad astra viros;
Huic merito faveant, hunc reges laudibus ornent,
Et iubeant pleno munera ferre sinu.
Quid mihi cum blando, quid cum lenone poëta?
Quae tamen, heu, nostro tempore turba frequens.
Hos certe, quam te, bellorum scriptor Homere,
Maximus urbe sua mallet abire Plato.

XVI.

De se ipso,

e graviori morbo primum convalescente.

Quos, inimica, diu mentita es, lingua, sepultos,
Vivimus, atque aura vescimur aetheria.
Nempe miser pelagi tumidis absorptus ab undis

Tollit saepe Deo respiciente caput.
At quicumque malis properas gaudere bonorum,
Cautior humanam disce putare vicem!

Ioannis Yriarte *)

Epigr. XIV.

Ad poëtam Vulcani laudes elegis celebrantem.

Vulcani celebras elegis bene, Pontice, laudes;
Conveniunt claudo carmina clauda deo.

Epigr. XVII.

De apibus.

Mel apis accepit caelestia dona; vicissim
Cerea Caelicolis dona rependit apis.

Epigr. XXX.

Cur homo nudus et investis creatus fuerit.

Cetera viventum proprio vestivit amictu
Corpora; nudum hominem iussit at esse Deus:

---

*) Nat. Orotavae in Teneriffa insula d. 15. Dec. 1702. Ob. Matriti d. 23. Aug. a. 1771. Cuius poëtae epigrammatum qui sequitur delectum enotavi ex P. A. Budikii, Viri eruditissimi, libro, cui titulus est: „Leben und Wirken der vorzüglichsten Lateinischen Dichter des XV.—XVIII. Iahrh. etc. Wien, 1827." Tom. I. p. 226 sqq.

Scilicet ut, vario quoniam mutabilis usu est,
Ad libitum vestes induat ille suum.

Epigr. LXV.

De temporis velocitate.

Tela praeit cursu, ventos et fulmina tempus.
Quis pede tam celerem crederet esse senem?

Epigr. LXVII.

De igneis armis in bello nunc maxime vigentibus.

Non unum, at geminos iam credimus esse Tonantes:
Iupiter in caelo, Mars tonat ipse solo.

Epigr. CCLX.

De Machaone medico, qui cum ceteris Graecis heroibus, equi ventre conclusis, exiit ad excidium Troiae.

Quid comitans heroas, equi de ventre Machaon
Exiit in cladem, Troia superba, tuam?
Scilicet ut ferro, si quid superesset et igni
Vincendum Argolico, vinceret ars medici.

Epigr. CCLXII.

De insigni templi Escurialensis opere.

Amplum, augustum, ingens opus admirare Philippi,
In terris caelum condidit ille Deo.

Epigr. CCCVI.

In fortissimum virum Ludov. de Velasco, arcis Habanae propugnatorem praeclarissimum.

Omnia strata iacent arcis iam moenia: nil stat,
Nil animum praeter, magne Velasce, tuum.

Prodigus ecce tamen vitae cadis; at simul ipse
  Tangis humum, Hispanus sidera tangit honos.

Epigr. CCCVII.

Assurgant aliis statuae, monumenta, tropaea,
  Quos sua nobilitant fortia facta, viris;
Ast arcis, Velasce, tuae sublimior exstat
  Omnibus in laudes ipsa ruina tuas.

Epigr. CCCXLVIII.

De Ulyssiponis excidio.

Nomen Ulyssipo Graii servavit Ulyssis:
  Fit quoque per flammas altera Troia suas.

Epigr. CDXLIII.

De rore matutino.

Ut lacrimis Aurora rigat gemmantibus agrum!
  Quo magis haec lacrimat, hoc mage ridet ager.

Epigr. CDXCIV.

De pulveris pyrii inventione.

Peccarent quoties homines, ultricia fessus
  Fulmina caelesti mittere ab arce Pater;
Ipse suum terris dedit esse imitabile fulmen,
  Et sacra mortales tela movere manus.
Nimirum ut meritis pereant capita impia flammis,
  Saeviat inque hominem, more Tonantis, homo.

Epigr. CDXCIX.

Comparatio umbrae et invidiae.

Solis ut umbra comes, comes est quoque livor honoris:
  Hoc tamen, hoc uno distat uterque sibi.

Quo magis ille altus, fieri minor assolet umbra;
Hic maior contra, quo magis altus honos.

Epigr. DLXXXI.

Quo modo rapta fuerit Creusa.

Viderat, aetherea dum prospicit altus ab arce
Iupiter Argolicis Pergama vasta rogis,
Viderat Aeneam lassa cervice ferentem
Et patrem et patrios, pondera sacra, Deos:
Quem gravat hinc dextrae sudanti appensus Iulus
Hinc postica premit cura, Creusa sequens.
Tanta Deum movit pietas: sub mole gementem,
Ah! scelus est, inquit, nolle levare virum.
Magna laboranti pars est adimenda laboris
Femina; deterior sarcina nulla viae.
Sic ait, et subita velatam nube Creusam,
Digna Caelitibus fraude, repente rapit.

Christiani Adolphi Klotzii *)

Carmen IV.

Ad Cratinum **).

Est ipsa virtus dos sibi maxima,
Quae nulla quaerens praemia, quaeque opis
Mortalis immunis sua vi
Seque suumque decus tuetur.
Non ira fati, non gladius minax
Saevi tyranni, non pelagi furor,
Non dirus hoc ignis, Cratine,
Auferet atque ruina caeli.
Sis mente constans, nec tibi conscius
Sis poenitendi consilii, et tuus,
Sis Veritati addictus uni,
Intrepidusque deae satelles.
Munitus armis hominum preces
Et vota, plausum plebis, et integer
Undam minacem atrasque nubes
Ridet et exitiale fulmen.
Seu sit corona splendida regia,
Seu delitescat straminea casa

*) Bischofswerda — Misnicus, vir ingeniosissimus et literarum amore ferventissimus, nec infelix Horatii, Ovidii et Tibulli imitator, natus est anno 1738; obiit florente aetate d. 31. Dec. anni 1771.

**) Vid. Christiani Adolphi Klotzii Carmina omnia. Editio emendata et nova. S. l. 1766. 8.

Virtus, nec augeri suum, nec
Diminui decus illa sentit.
Vanis per orbem cuncta coloribus
Obducta splendent; ingenua manu
Absterge fucum somnolentos
Decipientem oculos, Cratine!
Non ille maior sit tibi consulis
Auctus superbo nomine, quam prius,
Agrum triumphalis colonus
Laurigero subigens aratro.
Et crede, surget, serius, ocyus,
Sed, crede, surget lux rutilo polo
Virtutis assertor gravisque
Opprobrii metuendus ultor.
Tunc fulgurantem luce videbimus
Intaminata, quam miserabilem
Vulgoque spretam, quamque fletu
Saepius hic madidam videmus.

Carmen XXI.

Ad Rura.

O rura, laetis blanda coloribus
Quae Flora pingit, cincta rosis caput,
O rura, quae natura ridens
Munificis manibus decorat:
Hoc omne vestrum mox fugiet decus,
Mox bella pulchras eripient opes,
Et qui meam diro furore
Mars patriam nimium fatigat.
Late per agros purpureas rosas
Pes ingruentis militis obteret:

Tunc arma narcissos rubentes,
Lilia tunc violasque frangent.
Ridetis herbis versicoloribus:
Mox atra fusi flumina sanguinis
Vos irrigabunt, polluetque
Mista hominum pecudumque strages.
Funesta Nymphae tum fugient loca,
Musaeque maesto cum Charitum choro:
Pallor, Fames, Formido, Fletus
Omnia Pauperiesque habebunt.
Quando innocenti sanguine civium
Explere, reges, imperii sitim
Cessabitis? quando nefanda
Caede manus maculare vestras?
Qui tristis ensem stringit, et horridas
Strages suorum non lacrimis sine
Adspectat, hic sceptro, corona,
Imperio solioque dignus.

Carmen XXII.

De se ipso.

Vester, Camenae, vester ego nemus
Sacrasque lauros et virides specus,
Pindi relinquam: maior intrat
Corda deus stimulatque mentem.
Iamiam incalesco; pectore iam dolor
Luctusque vindex aestuat et pudor:
Exuberat venas per omnes
Sanguis et igne calet putente.
Non irrigatam sanguine patriam,
Non ora fletu squallida civium,

Non longius maestae querelas
Saxoniae tolerare possum.
Et me ferocem castra sequi iuvat
Fortesque turmas. Ibimus, ibimus,
Et plurimo mox illinenda
Sanguine corripiamus arma.
Nil sol peremto pro patria viro
Totum per orbem pulchrius adspicit:
Nil est magis fronti decorum
Vulnere pro patria recepto.
Laetus per ignes, laetus ahenea
Per machinarum murmura, per globos,
Per fulminatrices catervas
Ense ruam calido cruore.
Tum non aviti nominis immemor,
Ortusque forti sanguine Saxonum,
Aut victor e flammis recedam,
Aut gladio caput imminenti
Pectusque nudum caedibus offerens,
Pulchris superbus vulneribus; mea
Pro patria Augustoque Rege
Hanc animam placido ore reddam.

Carmen XXIII.

Ad Martem.

Hanc, Mavors, animam, bellipotens deus
Armorumque parens, hanc animam tibi
Devovi, sitiens sanguinem et inclytum
Nomen. Non tenebras, non animus meus
Has umbras patitur turpiaque otia.
Ceu fortis sonipes ad lituos fremit,
Nescit stare loco, collaque iactitans

Mordet frena ferox: sic mea pectora
Accendit litui voxque tubae aerea,
Armorum et strepitus, quem procul audio.
O suavis sonitus, grata tonitrua!
Iam miscere manum, iam videor mihi
Immixtus gladiis agmina rumpere
Dextra: perque globos flammivomos ruens,
Totus iam rubeo sanguine, iam mea
Multis fessa manus caedibus. O mihi
Victori liceat tum socios sequi
Me circa egregio vulnere perditos!
At tu, si mereor, sanguineis notis
Nomen, Fama, meum nubibus imprimes,
Ostendesque bonis grata nepotibus.

Carmen XXIV.

De proelio Kunnersdorfensi, eoque exstincto
Kleistio,
milite forti, poëta dulci.

Quo me per cineres, perque acies ducum,
Per saevos gladios, flammiferos globos,
Quo, Bellona furens, per profugos equos
Et stragis cumulos rapis?
Hic stridore sonant rauca tonitrua
Martis terribili et fulmineis fragor
Armis exoritur; iam reboant poli
Late et concava montium!
Ceu, quando Boreas et pluvius Notus
Tristem dura movent bella per aëra,
Insurgunt tenebrae, ferreus undique
Alarum sonitus fremit,
Turres praecipitant, et trepidis iugis

Quercus aëriae, silvaque sternitur,
Avulsaeque suis sedibus arduae
Rupes cum gemitu cadunt:
Sic incensa siti sanguinis agmina
Russorum coeunt atque Borussica,
Et miscent valida vi manibus manus.
Iamne error mea decipit
Corda, an terra tremit? iam lituos, tubas,
Clamoresque feros audio: fulminat
Iam late gladius: sanguineque irrubet
Et tellus sanie fluit.
Insistens laceris corporibus Furor
Volvit sanguineum flammea lumina
Per campum, gemitus gaudet et audiens
Singultus morientium.
Quem magna intrepidi pectoris indoles,
Et vivax animi praevalidi calor
Hinc in letiferae verbera grandinis
Et mille abripuit neces!
Sic est: delicias, Mars, video tuas,
Et Phoebi video gaudia, Kleistium.
Magnae quantum animae prodigus hostium
In densas acies ruit!
Quae victrix gladius fulgura proiicit!
Quaeque e luminibus flamma micat viri!
Hoc, si Mars populos suscitat aeneus,
Igne ardent oculi dei.
Ecce! illum propero subsequitur pede
Miles, nil metuens agmina proruit,
Et devota neci pectora fulminis
Offert et gladii minis.
Iamque — o Phoebe tuum seu clypeo tege,

Seu tu sulphureis nubibus eripe, —
Pectus conspicio saucium et improbo
Ire e vulnere sanguinem.
Hoc flores varii sanguine pullulent,
Succrescant violae, lilia cum rosis,
Hinc myrtus vireat, palmaque germinet,
Et sacrum in coeant nemus!
At sublimem animam militis inclyti
Per valles virides, per gelidum nemus
In campos roseos ruraque florida
Vos deducito Gratiae!

E Silvis.

IV.

Ad Musas

a. 1760.

Extremum hoc, Musae, nobis concedite carmen!
Non posthac iterum vota precesque feram.
Invida vis fati vestris me amplexibus arcet,
In quibus aeternum vivere dulce foret.
Dulce foret vestris vita decedere in ulnis,
Luminaque a vestra claudere pressa manu.
Hoc ego sperabam, sed spes me lusit inanis;
Perque auras ventus somnia nostra rapit.
Vos mihi nascenti placidis risistis ocellis,
Nascere, dicentes, tu quoque noster eris.
Tum teneram ingenuas mentem formástis ad artes,
Quae spretae in patria nunc sine honore iacent.
Carmina tum natum me, tum numerosque docetis,
Sive tuos, Naso, sive, Tibulle, tuos.
Et modo me laetum flavas ad Tybridis undas
Ducitis, et colles, Roma vetusta, tuos.

Et modo opes varias dextra donatis amica,
Quas gremio condit Graecia prisca suo.
Non mihi vos vani iunxit malus ardor honoris,
Nec me vos auri iussit amare sitis.
Ast ob delicias, ob et illud amabile vestrum
Tanto vobiscum iunctus amore fui.
Sic mihi defluxit primae pars optima vitae,
Actaque per dulces blanda iuventa choros.
Nunc Musas iussit Pindumque relinquere fatum,
Quod nobis laetum nil sinit esse diu.
Ceu, quando iuvenem nigri trans aequoris undas
Tristis sponsa suum cernit abire procul,
Tunc gemit et queritur, tunc plangit pectora palmis,
Pulchraque perpetuis fletibus ora rigat:
Sic ego vos maestus, miserescite! desero, Musae,
Et lacrimans Pindi suave relinquo nemus.
Nunc Cytherea vale, Charites tenerique Lepores,
Tu, mi Flacce, vale, tuque, Tibulle, vale!
Nil mihi vobiscum, nec erunt mihi carmina curae,
Nil mihi cum calamis, cum citharaque mihi.
At saltem, Musae, ne vestrum spernite amicum,
At saltem memores nominis este mei!
Et sacro in Pindo, (nostro hoc concedite amori!)
Exhibeat carmen parva columna breve:
Quem luco hoc nimium prohibebant ferrea fata,
Klotzius hoc luco vivere dignus erat.
Quid moror ulterius? Vultu dextraque feroci
Frango leves calamos: frange, Thalia, lyram!

IX.

Se Fortunae nunquam supplicem fore.

Quaere alium, Fortuna, tibi, quem vincere possis,
  Et qui submittat libera colla iugo.
Hoc ne crede tuis pectus penetrabile telis,
  Sit iuvenile licet, sit tenerumque licet.
Offendes scopulos silicesque in corde: nec astu,
  Nec vi, nec donis me superare potes.
Torva fronte mihi praedicis tristia fata:
  Rideo, quas saevo spargis ab ore minas.
Frustra inimicitias, turpis convicia linguae,
  Et luctum intentas pauperiemque gravem.
Frustra me titulis nullis, me munere nullo
  Conspicuum claro vivere visque mori.
Iam dudum melius tua novi munera: dudum
  Illecebras sprevi blanditiasque tuas.
Divitias alias mihi maioresque paravi,
  Quas nunquam poteris tu, dea vana, dare.
Est mihi contemtor plebis, contemtor et auri,
  Et rutilas animus spernere fortis opes.
Est mihi mens constans, est recti conscia, verae
  Virtutis vindex et probitatis amans.
Paucis contentus, Musarum praeter amorem,
  Non titulos opto divitiasque precor.
Non timeo mortem, gaudens me morte carentem
  Cognatamque animam pectore ferre polo.
Non, quae se diva laetetur origine natam,
  Mens humiles unquam sordida quaeret opes.
Tu tales animos tribues, Fortuna, precanti,
  Quam dicunt larga spargere dona manu?
O! titulos retine, et fucum, quo fallis, honoris,

Argentique tibi futile pondus habe!
Nil cupio: hunc animum retinebo: semper abundans
Divitiis, felix atque beatus ero.

Michaelis Denisii *).

Nocti **).

Ut cuncta late praeter amabiles
Fontis querelas dulcis habet sopor!
Ut luna dives fratris igne
Sidereas celebrat choreas!

O suda caeli! o regia Numinis!
Quam me cupido blanda tenet tui!
O quando mortales volatu
Despiciam tuus hospes oras!

Musis ***).

Iamiam flagrantis saeva Caniculae
Decessit hora et mitior aureum
Advertit astrum Phoebus. Arvis
Pomiferum caput alme tollis

---

*) Nat. Schardingae d. 27. Sept. a. 1729; def. Vindobonae d. 29. Sept. a. 1800.

**) Vid. Mich. Denisii Carmina quaedam. Vindob. 1794. 4. p. 146.

***) Ibid.

Autumne! Vos, o Pierides! quibus
Cura est poëtae, reddite ferias
Finemque tantisper laborum!
Grande dein repetemus aequor.

Repertor Sapientis *).

Ne mirare, tibi sapientem haud esse repertum!
Hunc reperit nemo, Vare! nisi sapiens.

Tumulus Ciceronis **).

Hic iacet heu Latiae facundia maxima linguae,
Lux oratorum, gloria summa togae!
Ne te poeniteat, lapidi dare basia pronum,
Ipsius os Romae nam tegit iste lapis.

Violas offerenti ***).

Ut tua magna iubet patriam sperare iuventus,
Sic vernas violae nunciat ortus opes.
Ut tu virtutis gratum diffundis odorem,
E violis gratus sic quoque spirat odor.
Ut tibi prae reliquis formosa modestia cordi est,
Sic viola est fastus nescia, serpit humi.
In violis igitur tua cum spectetur imago,
Nonne mihi te das, dum mihi das violas?

De morte Iosephi II. Aug. †).

Caesaris ut corpus nimii fregere labores,
Mors: Animum frangam! dixit, et haud potuit.

*) P. 169.
**) P. 170.
***) Ibid.
†) P. 172.

APPENDIX.

Iani Pannonii *).

Epigr. I. 12. **).

Se ipsum excusat, quod non proelia tractet.

Belligeri proceres, me regia castra sequentem,
Ne frustra ignavi carpite, quaeso, metus!

---

*) **Ianus Pannonius** (vulgo **Ioannes Cesinge**), haud ignobili genere natus d. 29. Aug. a. 1434, Graecam et Latinam eruditionem artesque liberales, Italis doctoribus **Guarino Veronensi** et **Marsilio Ficino** usus, primus in patriam deduxit, adeoque poëseos laude floruit, ut merito poëtarum Hungarorum Orpheus vocaretur. Ipse tumulo suo hos versus inscribi mandavit:

„Hic situs est Ianus, patrium qui primus ad Istrum
Duxit laurigeras ex Helicone Deas.
Hunc saltem titulum, Livor, permitte sepulto!
Invidiae non est in monumenta locus.“

Carus in primis fuit **Matthiae Corvino**, Hungariae regi, qui annos XXVI. natum iam episcopum Quinqueecclesiensem creavit. Postea vero quam in suspicionem cecidit se cum avunculo suo **Ioanne Vitezio**, episcopo Varadinensi, contra Matthiam regem coniurasse, ut regis iram evitaret, in Croatiam confugit ibique miserrimam mortem obiit anno 1472, aetatis 38. Vid. **Io. Pier. Valerian.** de literatorum infelicitate Lib. I. p. 22.

) Vid. **Iani Pannonii Poëmat. (curante **Sam. Comite Teleki**) Traiecti ad Rhen. 1784. 8. T. I.

Quod nunquam adversus decurro armatus in hostes,
Scando nec obsessi moenia celsa loci.
Sed spectator iners aliena pericula miror,
Non timor hoc, vestri, credite, cura iubet.
Gloria nempe, viri, petitur longissima vobis,
Haec faciles plagas, funera grata facit.
Quod si pugnantem rapiat sors ulla poëtam,
Quis vestras mortes, funera vestra canet?

Epigr. I. 19.

Ad Ioannem Archiepiscopum Strigoniensem.

Quo tibi tot duros et luce et nocte labores,
O nunquam curis non agitate pater?
Hoc ave Caucasia est sine fine Promethea rodi,
Hoc fulcire humeris semper Atlanta polum.
Tamne iuvat nulla mentem requiete remitti,
Sic Iove continuis insenuisse malis?
Nil est in terris, quod non aerumna fatiget,
Nec tua perpetuo membra adamante rigent.
Trux quondam Alcides, vagus et requievit Ulixes,
Credimus et dominum saepe vacare Iovem.
Si sapis, ex aliqua tuus esto parte, nec unquam
Sic aliis vivas, ut tibimet pereas.

Epigr. I. 49.

Ad Tribrachum poëtam.

Tribrache, candentes, si nos ea cura teneret,
De rubris gemmas eruerenius aquis;
Gentibus ex Arabum varios peteremus odores,
Vellera Ser nobis mitteret, Indus ebur.
Nunc animum capiant cum tantum carmina nostrum,
Non nisi ab Oenotriis poscimus illa plagis.

Vobis ingenium, vobis dedit ore rotundo
  Musa loqui; externi barbara turba sumus.
Nec Geticum Pallas colit aut Cyllenius Istrum,
  Sed Phaëtontei brachia amoena Padi.
Istrum concreto vectantem proelia dorso
  Mars colit et Martis sanguinolenta soror.
At frustra mendico procul, quis solus abundo,
  Scilicet Ausonia clarus et ipse lyra.
Dicunt pastores; sed non ego credulus illis,
  Inter nam cycnos anseris ore crepo.
Quodsi non etiam prorsus triviale sonarem,
  Haud ideo legerem, Tribrache, vestra minus.
Ipse Maro assidue Varium Flaccumque terebat;
  Non bene se novit, cui sua sola placent.

Epigr. I. 61.

Laus Pannoniae.

Quod legerent omnes, quondam dabat Itala tellus,
  Nunc e Pannonia carmina missa legit.
Magna quidem nobis haec gloria; sed tibi maior,
  Nobilis ingenio patria facta meo.

Epigr. I. 66.

Ad Paulum.

Carmina quae nobis, Paule, emendanda dedisti,
  Signata haud ullis quod rediere notis,
Ne frustra exsultes; neu te spes irrita ludat,
  Nil opus est signis, pars ubi nulla placet.

Epigr. I. 76.

Quando primum Romae Musis sit honor habitus.

Cum sola antiqui tractarent bella Quirites,
  Aonidum studiis non erat ullus honos.

Quod nunquam adversus decurro armatus in hostes,
  Scando nec obsessi moenia celsa loci.
Sed spectator iners aliena pericula miror,
  Non timor hoc, vestri, credite, cura iubet.
Gloria nempe, viri, petitur longissima vobis,
  Haec faciles plagas, funera grata facit.
Quod si pugnantem rapiat sors ulla poëtam,
  Quis vestras mortes, funera vestra canet?

Epigr. I. 19.

Ad Ioannem Archiepiscopum Strigoniensem.

Quo tibi tot duros et luce et nocte labores,
  O nunquam curis non agitate pater?
Hoc ave Caucasia est sine fine Promethea rodi,
  Hoc fulcire humeris semper Atlanta polum.
Tamne iuvat nulla mentem requiete remitti,
  Sic leve continuis insenuisse malis?
Nil est in terris, quod non aerumna fatiget,
  Nec tua perpetuo membra adamante rigent.
Trux quondam Alcides, vagus et requievit Ulixes,
  Credimus et dominum saepe vacare Iovem.
Si sapis, ex aliqua tuus esto parte, nec unquam
  Sic aliis vivas, ut tibimet pereas.

Epigr. I. 49.

Ad Tribrachum poëtam.

Tribrache, candentes, si nos ea cura teneret,
  De rubris gemmas eruerenus aquis;
Gentibus ex Arabum varios peteremus odores,
  Vellera Ser nobis mitteret, Indus ebur.
Nunc animum capiant cum tantum carmina nostrum,
  Non nisi ab Oenotriis poscimus illa plagis.

Vobis ingenium, vobis dedit ore rotundo
  Musa loqui; externi barbara turba sumus.
Nec Geticum Pallas colit aut Cyllenius Istrum,
  Sed Phaëtontei brachia amoena Padi.
Istrum concreto vectantem proelia dorso
  Mars colit et Martis sanguinolenta soror.
At frustra mendico procul, quis solus abundo,
  Scilicet Ausonia clarus et ipse lyra.
Dicunt pastores; sed non ego credulus illis,
  Inter nam cycnos anseris ore crepo.
Quodsi non etiam prorsus triviale sonarem,
  Haud ideo legerem, Tribrache, vestra minus.
Ipse Maro assidue Varium Flaccumque terebat;
  Non bene se novit, cui sua sola placent.

Epigr. I. 61.

Laus Pannoniae.

Quod legerent omnes, quondam dabat Itala tellus,
  Nunc e Pannonia carmina missa legit.
Magna quidem nobis haec gloria; sed tibi maior,
  Nobilis ingenio patria facta meo.

Epigr. I. 66.

Ad Paulum.

Carmina quae nobis, Paule, emendanda dedisti,
  Signata haud ullis quod rediere notis,
Ne frustra exsultes; neu te spes irrita ludat,
  Nil opus est signis, pars ubi nulla placet.

Epigr. I. 76.

Quando primum Romae Musis sit honor habitus.

Cum sola antiqui tractarent bella Quirites,
  Aonidum studiis non erat ullus honos.

Nec nisi quas super contexerat aerea cassis,
Postmodo cingebant laurea serta comas.
Mox ubi paullatim fratris surrepsit in urbem
Delius, et fluxit Castalis in Tiberim;
Dulcisona invictam vicerunt carmina gentem,
Nec lituo coepit vilior esse chelys.
Tunc et Liviacis applausit Roma cothurnis,
Festivos Plauti risit et illa sales.
Ast postquam magno per somnia plenus Homero
Ennius Herois condidit arma modis;
Huic eques, huic mixta plaudebat plebe senatus,
Nec non belligeri, nomina clara, duces.
Sed sacrum in primis coleret cum Scipio vatem,
Vatis ut ipse sacri maxima cura fuit;
Praecipue Libycos nam rettulit ille triumphos,
Detractum et Latiis arcibus Hannibalem.
Nec minus Hispanas acies et foedere iniquo
Contentum Tauri finibus Antiochum.

Epigr. I. 183.

De Argyropylo philosopho.

Iure dedit clarum tibi porta argentea nomen,
Qui nitidum ad sophiam tam bene pandis iter.

Epigr. I. 236.

De Marsilio Ficino.

Nuper in Elysiis animam dum quaero Platonis,
Marsilio hanc Samius dixit inesse senex.

Epigr. I. 255.

In Celsum.

Dico prudentem, dico te, Celse, disertum,
Omnia tu credis, mentiar ipse licet.

Epigr. I. 258.

De Dionysio, tyranno Syracusarum.

Cum Siculis dapibus trepidus male vescitur hospes,
Ac suspensa horret tela; tyrannus ait:
„Haec mea conditio est, quem tu rebare beatum,
I, nunc felicem, qui timet, esse puta!“

Epigr. I. 308.

Cur stellatum sit caelum.

Ante fuit simplex caeli color; ast ubi furto
Titanum paene est regia capta Iovis,
Arcis Olympiacae tum demum in turribus altis
Astrorum excubias disposuere Dei.

Hermici Cayadi
Ulyssiponensis *).

Epigr. I. 2.

Ad Cupidinem.

In varias Superi se mutavere figuras,
Terrigenum premeret cum furor et Superos.

---

*) Hermicus Cayadus, poëtarum Lusitanorum, qui Latine scripserunt, lumen longe clarissimum, quo anno natus fuerit, inter homines eruditos non satis constat. Eum

Scire, Cupido, velim, qua tu sub imagine tectus
  Fugeris hostiles insidiose manus?
„Possedi semper pharetramque arcumque sonantem:
  Imperium in nostrum non locus invidiae est:
Regna Iovis potuere feri affectare Gigantes,
  Non mea, qui magno vel Iove maior eram."

Epigr. I. 8.

Ad Albertum Tassinum.

Exiguis validam committere fluctibus alnum,
  Securique times sidera certa poli.
Est, Tassine, ratis tua, quam nec saevus Orion,
  Nec turbent Hyades, nec pluviale pecus.
Quod si forte maris violentior ingruat ira
  Et tremat insanas navita tristis aquas,
Ipse Helice quassae fueris Cynosuraque puppi,
  Illa tuo tutum numine carpet iter.
Versatur variis dudum mea cymba procellis:
  Velaque qui solitus non mea ventus agit.

---

in Italia (quo studiis humanioribus se excolendi causa profectus in Academia Bononiensi Cataldi Parisii Siculi et Florentiae Angeli Politiani scholis summa cum laude interfuerat) Latina eruditione ac poësi ab anno 1495 usque ad a. 1501 floruisse memoriae prodidit Nicolaus Antonius in biblioth. Hisp. nov. Tom. I. p. 566.

Cayadi Eclogae, silvae, epigrammata primum prodierunt Bononiae 1501. 4. Accuratius et auctius recusae sunt in Corpore illustrium poëtarum Lusitanorum, qui Latine scripserunt, ed. ab Ant. Dos Reys Tom. I. Quos vero libros quum oculis usurpare non licuisset, Antholog. Budik. Tom. III. p. 112 usus sum.

Tende mihi restim, tua per vestigia portum
  Nactus in optato litore deses ero.

Epigr. I. 11.

Ad Lucam Ripam.

Iusta petis puero egregio inferiasque sepulto
  Et cineri lacrimas et pia thura rogis.
Officium hoc est, Ripa, tuum: nam te duce sancta
  Limina virtutis scandere suetus erat.
Auspice te ingenium coluit moresque probatos,
  Tu titulis igitur marmora sculpe suis!
Nec te maerori est aequum aut succumbere luctu:
  Turpe viro adversis terga subacta dare.
Ille, Padi solitus transcurrere ripam,
  Eridani ad ripam nunc natat Elysii.

Epigr. I. 12.

Ad Albertum Tassinum.

Intermissa redi, Tassine, ad munera vatum
  Aoniamque iuvet sollicitare chelyn.
Tempore mutandi mores mutandaque vita:
  Vivendum est solo temporis arbitrio.
In silvis fuimus, dederant silvae otia nobis,
  Otia, Castalidum qualia turba cupit.
Carpsimus auctumno dulces frondente racemos,
  Legimus et cupida mitia poma manu.
Hybernae suadent chartis pallescere noctes,
  Et vigil in media nocte lucerna vocat.
Eia age, purgato foveamus pectore Musas:
  Eiice torporem desidiamque foras!
Rus imitare! Vides, ut culta feracia surgunt,
  Ut sterile incultum est et sine fruge solum!

Epigr. I. 12.

Ex Graeca historia.

Mars erat ad muros urbis, quo femina misit
Bellatum ventris pignora quinque sui.
Eventum pugnae desiderat, ecce roganti
Quidam ait exstinctos morte iacere suos.
Ad quem: „Non hoc, non hoc, ignavissime, quaero,
Sed quo summa loco sit sita res patriae.“
„Est patriae victoria,“ ait: laetatur et iniquit:
„Non doleo natos sic cecidisse meos.“

Iacobi Sadoleti *)

Poëma **)

de Laocoontis ***) statua,

quae Romae in Vaticano spectatur.

Ecce alto terrae e cumulo ingentisque ruinae
Visceribus iterum reducem longinqua reduxit

---

*) Nat. Mutinae d. 12. Iul. a. 1477. Obiit Cardinalis Romae d. 18. Oct. a. 1547.

**) Id scriptum fuisse anno 1506, quo reperta erat ipsa Laocoontis statua (vid. Heyn. Samml. antiquar. Aufsätze P. II. p. 4 sq.), sub Iulii II., non, ut visum est Petro Ant. Serassio (ad Balth. Castilionii Cleopatr. p. 198 sq.), Leonis X. pontificatu maximo e duabus Petri Bembi epistolis famil. (L. III. Ep. 23 et L. IV. Ep. 4), altera ad I. Sadoletum tertio Nonas Maias M.D.VI., altera ad Philipp. Beroaldum minorem eodem die Venetiis Romam missis evincitur, in quarum utraque se his Sadoleti versibus, quos Beroaldus una cum suo aliorumque de eodem argumento factis carminibus cum eo communicaverat, mirifice delectatum esse dicit. „De Laoconte," inquit in epist. ad Sadolet., „legi centies carmen tuum. O te poëtam mirificum, ita non modo eius signi nobis quasi aliud simulacrum effinxisti, sed plane etiam signum ipsum prorsus in animo insculpsisti meo! Quid? quaeris. Equidem cum Beroaldo valde sentio: non iam enim Romam cogito, ut Laocoontem videam, cum habeam tuos versus. Sed heus tu, parumne tibi videbaris effecisse, qui oratoriam nobis omnibus quasi de manu eripueris teque eius disciplinae principem feceris, nisi etiam poëticen

Laocoonta dies, aulis regalibus olim
Qui stetit atque tuos ornabat, Tite, penates:

---

eripias, prae teque unum feras? O profundam ingluviem gloriae! Sed mehercules, omissis iocis, non possum dicere, quantum me illa carmina delectarint. Nolo me tibi assentari existimes, si utar verbis tuis: sed profecto sic est: eo te carmine spem atque exspectationem eorum omnium, qui te in oculis ferunt, vicisse longeque reliquisse: puto etiam quemadmodum a Cicerone Graecos homines scriptis commentariolis eius consulatus, sic poëtas reliquos a scribendo eo de signo deterritos istis hexametris tuis." Sadoletum hoc poëmate, quod Lessingius in Laocoont. p. 70 vetere poëta dignum esse censet, singularem quandam consequutum esse gloriam annotavit Serassius l. c. Eodem tempore scriptum videtur etiam Herc. Strozzae elegantissimum de Laocoonte epigramma. Vid. supra p. 15. Ceterum Sadoleti carmen describenti mihi praesto fuerunt Leodegarii a Quercu Farrag. Poëmatum. Paris 1560. 12. Tom. II. fol. 64. p. avers., Delit. CC. Italorum poëtarum P. II. Collectore Ranut. Ghero (i. e. Ian. Grutero). 1608. 12. p. 582 sq., I. Sadoleti Opera. Moguntiae 1607 p. 843 sq., Carmina illustr. poëtarum Italorum. Florent. 1721. 8. Tom. VIII. p. 228 sq., I. Sadoleti Opera omnia. Veron. 1738. Tom. III. p. 245 sq. et Lessing. Laocoont. p. 70 sq., ubi hoc poëma e Leodegario a Quercu recusum exstat.

***) Vid. Virgil. Aen. II. 199—224.

V. 4. *tuos ornabat, Tite, penates*] Plinius H. N. XXXVI. 5. s. 4: „— sicut in Laocoonte, qui est in Titi imperatoris domo, opus omnibus et picturae et statuariae artis praeponendum. Ex uno lapide eum et liberos draconumque mirabiles nexus de consilii sententia fecere summi artifices Agesander et Polydorus et Athenodorus Rhodii." Cf. V. Cl. Thiersch. Commentat. acad.: über die Epo-

Divinae simulacrum artis, nec docta vetustas
Nobilius spectabat opus, nunc celsa revisit
Exemptum tenebris redivivae moenia Romae.
Quid primum summumve loquar? miserumne parentem
Et prolem geminam, an sinuatos flexibus angues
Terribili aspectu? caudasque irasque draconum,
Vulneraque et veros, saxo moriente, dolores?
Horret ad haec animus, mutaque ab imagine pulsat
Pectora non parvo pietas commixta tremori.
Prolixum bini spiris glomerantur in orbem
Ardentes colubri et sinuosis orbibus errant
Ternaque multiplici constringunt corpora nexu.
Vix oculi sufferre valent crudele tuendo
Exitium casusque feros: micat alter et ipsum
Laocoonta petit, totumque infraque supraque

---

chen der bildenden Kunst unter den Griechen. Part. III. p. 74 sq. et 107 sq.

V. 5. *Divinae simulacrum artis*] Hanc (statuam) Michael Angelus (teste Boissardo Topograph. Rom. p. 13.) dixit esse miraculum artis singulare, in quo divinum artificum debeamus suspicere ingenium potius, quam ad imitationem nos accingere. — Belle figuratum Laocoontis signum dedit Viscontius in Musei Pio-Clement. Tom. II. Tab. XXXIX.

V. 6. *celsa*] *alta* editt. Grut. et Flor.

V. 7. *Exemptum*] *Exemplum* ed. Mogunt. errore typothetico.

V. 10. *aspectu*] *adsp.* Lessingius.

V. 14. *bini*] Editt. Grut. et Flor. *vivi*, male.

V. 15. *errant*] Sic Leod. a Quercu et Lessing. Editt. Grut., Mogunt. et Veron. *oram.* Flor. *ora.*

Implicat, et rabido tandem ferit ilia morsu.
Connexum refugit corpus; torquentia sese
Membra latusque retro sinuatum a vulnere cernas.
Ille dolore acri et laniatu impulsus acerbo
Dat gemitum ingentem, crudosque avellere dentes
Connixus, laevam impatiens ad terga chelydri
Obiicit: intendunt nervi, collectaque ab omni
Corpore vis frustra summis conatibus instat,
Ferre nequit rabiem, et de vulnere murmur anhelum est.
At serpens lapsu crebro redeunte subintrat
Lubricus, intortoque ligat genua infima nodo.
Absistunt surae spirisque prementibus arctum
Crus tumet, obsepto turgent vitalia pulsu,
Liventesque atro distendunt sanguine venas.
Nec minus in natos eadem vis effera saevit,
Implexuque angit rapido, miserandaque membra
Dilacerat: iamque alterius depasta cruentum
Pectus, suprema genitorem voce cientis,
Circumiectu orbis validoque volumine fulcit.

V. 22. *a vulnere*] *a corpore* editt. Mognnt. et Veron.

V. 24. *avellere*] *evellere* Leod. a Quercu et Less.

V. 24—25. In decriptione draconum auctorem nostrum neque perspicuum, neque accurate versatum esse monuit Heynius in libr. c. Part. c. p. 2 et 19.

V. 29. *At serpens*] I. e. *alter*, non *prior*. Vid. Heynius l. c. Part. c. p. 19.

V. 31. ab editt. Grut., Mog., Flor. et Veron. abest.

V. 35. *Implexu — rapido*] *Ampl. — rab.* editt. Grut. et Flor.

V. 38. *Circumiectu*] *Circuniectu* Grut.

Alter adhuc nullo violatus corpore morsu
Dum parat adducta caudam divellere planta,
Horret ad adspectum miseri patris, haeret in illo:
Et iam iam ingentes fletus lacrimasque cadentes
Anceps in dubio retinet timor. Ergo perenni
Qui tantum statuistis opus iam laude nitentes,
Artifices magni (quamquam et melioribus actis
Quaeritur aeternum nomen, multoque licebat
Clarius ingenium venturae tradere famae)
Attamen ad laudem quaecumque oblata facultas,
Egregium hanc rapere et summa ad fastigia niti.
Vos rigidum lapidem vivis animare figuris
Eximii et vivos spiranti in marmore sensus
Inserere, adspicimus motumque iramque doloremque,
Et paene audimus gemitus: vos extulit olim
Clara Rhodos: vestrae iacuerunt artis honores
Tempore ab immenso, quos rursum in luce secunda
Roma videt, celebratque frequens: operisque vetusti

V. 41. *ad adspectum*] *ad asp.* editt. Grut., Leod. a Quercu et Flor.

V. 45. *quamquam*] Sic editt. Flor. et Veron. Reliquae *quanquam.*

V. 48. *quaecumque*] Sic editt. Flor. et Veron.; in reliquis est *quaecunque.*

V. 51. *Eximii*] *Eximit* editt. Mog. et Veron.

V. 52. Post *inserere* cum Lessingio comma posui. Edd. Leod. a Quercu, Mog. et Veron. habent *aspicimus*, addito commate, quod agnoscunt etiam editt. Grut. et Flor.

V. 53. *extulit*] *obtulit* editt. Grut. et Flor.

Gratia parta recens. Quanto praestantius ergo est
Ingenio, aut quovis extendere fata labore,
Quam fastus, et opes, et inanem extendere luxum!

M. Ant. Flaminii *)

Carm. II. 7.

De se proficiscente Neapolim.

Pausilypi colles et candida Mergillina,
Et myrteta sacris consita littoribus,

---

*) Vid. supra p. 94.

V. 1. *Pausilypi colles*] Pausilypus (hodie Posillpo), mons vitifer prope Neapolim, propter cryptam illam, qua Puteolos itur, et Virgilii Sannazariique sepulcra ac monumenta hominum ore celebratissimus est. Vid. Sannazar. Epigr. II. 42. v. 7., Capaccius in libro: La vera antichita di Pozzuolo p. 1 sq. et in Puteolana historia p. 191 sp. et Nicol. Heinsii Eleg. I. 4. — Mergillina, ad Pausilypi radices sita, pulcherrima fuit Sannazarii villa. Vid. Sannazar. Epigr. I. 2, quod elegantissimum carmen supra p. 25—27 inserui, add. eiusdem de part. virg. I. 26 et III. 509 sq., Eclog. I. 110 et II. 3, et Epigr. II. 1 v. 13 sqq. et II. 42, Capacc. Antichit. p. 3 et 13 et Puteol. hist. p. 199 sq. et Io. Ant. Vulp. in Sannazarii vit. eiusdem Operum ed. 2. praemiss. P. XIV. sq.

Si mihi post tantos terraeque marisque labores
  Contigerit vestrae limina adire Deae,
Limina, quae vates specula fundavit in alta
  Actius, Eois clarus et Hesperiis;
His ego pileolum figam et calcaria et ensem,
  Et quaecumque vagus arma viator habet.
Nec mihi iam quisquam vel prudentissimus ullas
  Aut pelagi aut terrae suaserit ire vias;
Non mihi Persarum si detur regia gaza;
  Non mihi si rubri serviat unda maris.
Quis furor est, nullis umquam requiescere terris,
  Atque alia ex aliis semper adire loca?
Nec vitare graves aestus, nec frigora saeva,
  Nec timuisse vagae mille pericla viae?
Felix, qui parvo contentus vivit agello,
  Nec linquit patriae dulcia tecta domus;
Quem versare iuvat foecunda ligonibus arva,
  Et nitidam vitis fingere falce comam;
Aut gelidam summo lympham deducere clivo,
  Aestibus ut mediis arida prata bibant;
Aut tondere gregem lucenti vellere amictum,
  Et tonsum liquidis mergere fluminibus.
Hic laribus certis certisque sodalibus utens
  Magnorum vita Caelicolum potitur.
Nec violentus eum crudeli vulnere latro,
  Nec fera caeruleo perdidit unda mari.
Ille suis moriens suprema dat oscula natis
  Deficiens casto coniugis in gremio.
Illa viri fugientem animam dulci excipit ore,

V. 6. *Actius*] I. e. Sannazarius.

Et claudit tenera lumina cara manu:
Dehinc tumulum viridi componit margiue fontis,
Qua vetus arboreis decidit umbra comis.
Huc madefacta piis lacrimis fert liba quotanuis
Cum pueris veuiens maesta puella suis:
Et magna manes compellat voce mariti,
Spargens fictilibus lac niveum calathis:
Nec potis est dulci tumulo se avellere, donec
Hesperus invitam cogit abire domum.
O fortunati cineres umbraeque beatae,
Morte obita si quem talia fata manent!
At me, dum terras et vasta per aequora curro,
Si vocet in Stygiam pallidus Orcus aquam,
Quis tumulum faciet? tumulo quis tristia libaus
Dona, peregrinas flebit ad inferias?
Iam valeant Alpes et nimbifer Apenninus,
Tuque maris nostri littus utrumque vale!
Me iuvat umbrosis vitam nunc degere in hortis,
Et Phoebo et Musis otia digna sequi;
Tum rerum causas eventaque dicere: qua sint
Lege colenda homini numina sancta deum:
Qui deceant mores, faciat quae vita beatum:
Quid verum falsis distet imaginibus.
In primis celebrare Patrem fidibus iuvat, a quo
Ex nihilo vates omnia facta canunt;
Caelicolae quem Tergeminum venerantur et Unum,
Qui mare, qui terras, qui supera alta regit.
O utiuam ille suo me sistat numine sancto
Ad fortunati littora Pausilypi!
Littora divino quondam celebrata Maroui,
Et patrio Minci flumine cara magis,
Littora, quae toties viderunt Calliopeam

Dictantem vati carmina docta suo.
Sirenes illis stupuerunt versibus, illis
Carminibus omnis Nereïs obstupuit.
Ipse pater Tegeaeus amoena vireta Lycei
Linquens insolitis cantibus intererat,
Quem comitabantur silvarum numina Fauni
Et Nonacrinae maxima turba deae.
Ille coronatus viridanti tempora myrto
Dicebat laudes, candide Daphni, tuas;
Et quae Maenalius dulci cantarat avena,
Dum pascit niveas Alphesiboeus oves.
Tum miseros Galli consolabatur amores,
Duritiam incusans, pulchra Lycori, tuam.
Hinc laetas segetes et Bacchi dona canebat,
Et pecus et liquidis dulcia mella favis.
Mox sese attollens, numero graviore sonabat,
Troiani referens horrida bella ducis;
Erroresque vagos et diruta Pergama flammis,
Visaque Tartarei pallida regna dei;
Tum patri celebrata prius certamina, paene
Femina cum Phrygias perdidit una rates.
In primis fatum miserae deflebat Elisae,
Quam tulit heu diro vulnere saevus amor.
Siste ratem, Aenea, properas quid funus amanti?
Per Veneris, quaeso, numina siste ratem!
Quod si forte tuae mors est tibi cara puellae,
Ah saltem in gremio concidat illa tuo.
Vos, o caeruleae formosa Doride natae,
Vos dominum ad littus, quaeso, referte meum!
Sic vestro nulli veniant in amore dolores:
Sic vobis semper mutuus adsit amor.
Ille canit: celso properant de vertice lauri,

Et prata omnigeno flore colorat humus.
Tune sacrum felix aluisti terra Maronem?
Tune pio celas ossa beata sinu?
Anne etiam, ut fama est, vatis placidissima saepe
Inter odoratum cernitur umbra nemus?
Felices oculi, fortunatissima silva,
Et quidquid sancto nascitur in nemore!
Cui non sit dulci patria tua dulcior ora?
Quis non te lucis praeferat Elysiis?
Iam mihi Benaci laetissima littora sordent,
Iam formosus aquis Mesulus irriguis.
Me tibi, terra beata, dico; tu meta laborum,
Iamque senescentis grata quies animi!
Tu, dum fata sinunt, lucemque auramque ministra:
Tu, precor, exstincti corporis ossa tege!

Basilii Zanchii,
Bergomatis *),

Nenia in Michaelem Marullum Tarchaniotam **).
(Poëmat. Lib. VI. p. 165 ed. Serass.)

Caecina crudelis, rapido qui te improbus amne
 Obruit, Ausonia culte Marulle lyra!
Quid laudes cecinisse ducum, quid numina Divum
 Profuit, aut taedas, saeve Cupido, tuas?
Naides ingratae, quae vos ima antra sub amne,
 Qui fontes, quae vos tunc tenuere morae,
Infelix tumidas vates quum lapsus in undas
 Clamaret: „Quis nunc o mihi portet opem?"
Parcite pastores, armenta avertite ab amne:
 Parcite, ne infamis detrahat unda greges!
Quos in serta iuvet texisse nitentia flores,
 Vos alibi dulces quaerite Hamadryades:
Nec ripas circum ramis viridantibus alni
 Subiiciant sese, fronde nec uda salix.
Mox tamen eiectum ripa te sustulit ulnis

---

*) Basilius Zanchius (nat. circa ann. 1501; def. Romae d. 31. Ianuar. 1560), cui summi poëtae laudes tribuit Paul. Manutius Epist. IV. 28, dignus omnino est, qui M. Ant. Flaminio, sicut in vita cum eo intima coniunctus fuit amicitia, ita etiam in hoc libro comes adiungatur. De viri egregii miserabili et indignissimo interitu vid. Paul. Manutius l. c.

**) Vid. supra annotat. p. 7.

Mnemosyne et sacri sedula turba chori:
Et positum lauri in silva Libethride in unda
Abluit et tristes reddidit exsequias:
Et myrrha totum et Syrio perduxit amomo,
Texit et ostrina frigida membra toga:
Purpureosque super flores lacrimamque hyacinthi
Sparsit et albenti lilia mista rosa.
Hinc lauru Clio, hinc hedera Polyhymnia cingit,
Hinc Erato intexit myrtea serta comae.
Aeternumque vale miserabilis insonat Echo,
Crescit et e lacrimis Castalis unda novis.
Ipse chori pater affusus cara oscula figit,
Dulciaque assiduis fletibus ora rigat:
Atque apio tumulum et candenti vellere donat:
Signat et aeternis funera carminibus.
Hic iacet et Phoebi dolor et nova cura Marullus:
Maxima et haec sanctum marmora numen habent.
Scilicet egregium vatem mors abstulit atra,
Et fuit insanae non leve crimen aquae.
Vos illum celebrate pii toto orbe poëtae,
Fundite non parca plurima dona manu!
Felix o, patria ingeniis quem Graecia dives
Edidit et clara nobilitate parens!
Fortunate iterum, Latio cui vita sub axe,
Contigit et Latio carmine rarus honos!
Fortunate magis, tumulum quem Phoebus honore
Ornat et exstinctum Pieris ora tenet!
Iam totus terrarum orbis tua nomina dicit;
Totque tuas laudes, tot monimenta legit.

In classem Turcarum regis.

(Poëmat. Lib. VI. p. 167.)

Solvitur infausta ratis alite: te precor, altae
Arbiter Aeoliae,
Carceribus dimitte Notum: da, caerula ponti
Eruat Ausonii!
Horrifer insurgens Boreas, bacchatus ab Arcto,
Tundat utrumque latus.
O devota mari navis, male texta procellis
Dissoluenda dabis.
Iam video turbata tuis praecordia nautis:
Iam pater altitonans
In te tela tenet dextra: iam surgit ab imo
Gurgite acerba tuens
Armatus magna Neptunus cuspide et omnia
Agmina Nereidum.
Eripient non te fallax tua vota Lycaon:
Iam venit illa dies,
Qua foedam exspires animam, correptus acutos
Turbine per scopulos:
Et tua caeruleis explebunt membra sub undis
Piscibus ingluviem:
Aut volitans rauco mergus clangore cadaver
Litore pascet iners.
Annue vota libens Deus aequoris: icta ministris
Corruet ante focos
Victima pro meritis: nec tu sine honore manebis
Muneris, Hippotade!

In Michaelem Angelum Bonarotium.

(Poëmat. Lib. VII. p. 173.)

Quae linguae, quaeve ora tuum, clarissime, terris,
Quaeve manus vel quae charta loquatur opus?
Spirantes seu forte velis de marmore vultus
Fingere, seu docta molliter aera manu:
Seu vario distincta refers nova signa colore,
Sive oculos pictis fallis imaginibus:
Praxitelis tibi signa boni, tibi signa Myronis,
Cedat Apellea Cypria picta manu.
Te caelum, te terra novis expressa figuris
Perpetuum tollent, perpetuumque canent.

In Romam et C. Iulium Caesarem.

(Poëmat. Lib. c. p. 174.)

Prospice qua residet tellus, quaque alluit aequor,
Quaque cadit Titan, quaque resurgit aquis:
Sub Boream converte oculos, converte sub Austrum:
Terra, nihil, dices, clarius Urbe tenes.
Suspice septenos colles, tecta inclyta Romae,
Totque virum titulos, tot monimenta ducum:
Inter mille tibi partos, regina, triumphos,
Roma, nihil, dices, Caesare maius habes.

In M. T. Ciceronem.

(Poëmat. Lib. c. p. 175.)

Quis te, magne parens patriae, quis gloria fandi
Explicet, aut scriptis aequiparare queat?
Vivis adhuc, spirantque tui de marmore vultus:
Vivis, et eloquio magnus in orbe tonas.
Dum regnum, dumque orbis erit, dum copia fandi,
Rex eris, et quivis te Cicerone minor.

In P. Virgilium Maronem.

(Poëmat. Lib. c. p. c.)

Felices cycni, qui mollia prata tenetis,
Mincius inflexis quae rigat amnis aquis:
Iam vestri generis cycnum formosus Apollo
Nutriit et blando Calliopea sinu:
Purpureis qui vestra ferat super aethera pennis
Nomina, perpetuo qua nitet axe polus:
Ipse Meletaeum qui gutture vincat olorem,
Sive, Caice, tuum, sive, Caystre, tuum.
Felix Parthenope, felix placidissima Siren,
Nunc tecum alterna carmina voce canit:
Nunc recubat, gremioque tuo divellier unquam
Haud potis, aeternus dum requiescit olor.

In citharam Virgilii.

(Ibidem.)

Auguste, insignem citharam, tua gaudia, Caesar,
Troia, tuas laudes, maxima Roma, tuas,
Ut primum, Tyberine, tua et Sebethide ripa
Tityron et segetes dixit et arma virum;
Ipse chori princeps lauro suspendit amatae,
Qua levis Aonium perstrepit aura nemus:
Pieridum qua culta rigant Permessides undae,
Aureaque in foliis haec monimenta dedit:
Hanc ego Virgilii citharam, mea munera, Phoebus
Suspendi, solis cognita Caelitibus.

Tumulus Actii Sinceri Sannazarii.

(Ibid. p. 177.)

Has nassas, haec lina tibi, Sincere, sepulto,
Piscator tenui dedicat arte Mycon.

Hos calamos myrtumque tibi viridemque coronam
Arcadia pastor ponit ab arte Lycon.
Has lacrimas vulsamque a vertice Mergillina
Caesariem et violas spargit et ammineum.
Parthenope patria ipsa tibi de marmore bustum
Condit et extentis funera temporibus.
Quid moror? Aeterni te suspicit umbra Maronis
Et tibi vicinum donat habere locum.

Tumulus Andreae Naugerii.

(Ibidem.)

Naugeri, tibi Nereides statuere sepulcrum,
Aequoris Adriaci qua levis unda silet,
Qua solitae in numerum, numeros dum pectine ducis,
Concinere et virides ducere saepe choros.
Et Doris tumulo conchas et lucida texit
Coralia et placidis marmora lambit aquis.
Ipse etiam circum affusis pater Adria lymphis
Ingemit et maestum litora murmur habent.
Parva loquor: te te amisso dolet Itala virtus,
Maeret et in fractis Faunus arundinibus.

In M. Antonium Flaminium.

(Ibidem.)

Imparibus ludit numeris dum carmina doctus
Flaminius, lyricis solvit et ora modis,
Obstupuere undae Libethrides: audiit ipse
Pieridum rector, Pieridumque chorus.
Et dixit: „Mea progenies, mea munera et artes
Do tibi, Musarum sceptra secunda geres.“

In eundem.

(Ibid. p. 178.)

Miraris quicumque mei nova carmina lector
Flaminii et Phoebo digna canente putas;
Quid faceres, si nota tibi probitasque pudorque,
Qualis Saturno regna tenente fuit?
Hunc resonat Romana cavis e collibus Echo,
Et Vaticani Numinis aura fovet.

In M. Hieronymum Vidam.

(Ibidem.)

Vida pater, cui se ipsa volens debere fatetur
Gloria, et immensum daedala texit opus,
Scribis, quae recinant patriae prope flumina Nymphae,
Nec cedant priscis carmina temporibus:
Te silvae, te rura colunt: te candida Nice,
Daphnis et arguto cum Corydone canit.
Nec Scacchis, nec clara silet tua nomina Bombyx,
Iamque novum vatem doctus ab arte facis.
Mox plectro graviore sonas praeconia Divum,
Condis et aeternis carmina Caelitibus.
Parva loquor: dum bis genitum deducis Olympo
Caelicolum regem, dum super astra locas;
Caelicolae applaudunt cantanti, arridet Olympus,
Et tibi divini muneris aura favet.
Scilicet haec tibi palma sacris quaesita Camenis
Nobilis invictum tollit in astra caput.

In Hieronymum Fracastorium.

(Ibidem.)

Frastori venerande, Deum te munere gaudet
Italia et Graium provocat omne decus.

Mirantem te perspicuo deduxit Olympo
  Uranie et caeli sidera nosse dedit.
Teque repertor opis medicae, te carminis auctor
  Perdocuit, lauri qua levis umbra cadit.
Hinc doctus caelique vias causasque latentes
  Excutis atque omni membra dolore levas.
Hinc Syphilim devectam alio de cardine mundi
  Concinis, Ausonia conspiciende lyra!
Cantantem stupuere umbrae manesque Catulli:
  Benacus placidis extulit ora vadis.
Ipse Athesis circum ripis mirantibus haesit,
  Attonitae circum conticuistis aves.
Frastori venerande, tuum per secula nomen
  Proferet immenso quae volat orbe Dea.

Ad Christum.

(Poëmat. Lib. VIII. p. 206.)

O mundi venerande sator, mens alta parentis,
  O decus, o nostrae, Christe, salutis iter:
Te liquidi spatia ampla poli, te maxima tellus
  Tollat et immensis finibus Oceanus:
Te recinat quodcumque tuo de munere vivit,
  Quicquid et in toto providus orbe creas.
Tu puram in tenebris lucem et caligine caeca
  Fundis et aetheria lumina clara face.
Tu miseros, tu morte tua formidine mortis
  Solvis et a leti limine restituis.
Mortalesque artus terrae moribundaque membra
  Condis et in mutos dissoluis cineres:
Et longo sator ipse iubes post tempore rursus
  Surgere non ulla dissoluenda die.
Atque immortali mortalia corpora vita

Afficis, aeternis inclyta muneribus:
Occlusas penetrare fores sine pondere ferri
Das, pater, et ventos praeteriisse fuga,
Et Phoebum radiis, Phoeben candore nivali
Vincere, dum plena cornua fronte gerit.
Tu Stygii fera terga domas et colla draconis,
Frangis et invicta claustra tremenda manu.
Et felix spolia ampla refers super aethera victor,
Et nitet exuviis regia celsa novis.
Christe parens, tu templa tibi, tu pectora nostra
Effice et ipse tuo nomine corda reple!
Da mentem mactare piam, da mente litare:
Evincant nostrae thurea dona preces.
Proque focis cantata tibi nova carmina fument,
Stillet et e nostris myrrhea gutta genis.
Annue, Magne, precor, tua per caelestia dona,
Perque tuam matrem caelicolasque choros!

Io. Antonii Vulpii
antiquioris,
Patricii et Episcopi Novocomensis *),

Carmen VIII.
Sub imagine Friderici I. Imperatoris.

Excisae Italiae cupiens pensare ruinas,
  Vel saltem in pulchra quaerere morte decus,
Aeonobarbe, Asiae fines irrumpis et hosti
  Eripis avectas relligionis opes.
Invidit coeptis Fortuna inimica secundis;
  Nam, dum te in nitido proluis amne, cadis.
Macte animis, ingens, Asiae dignissime campis,
  In quibus illustres tot cecidere viri!
Hinc vatum calamos et marmora et aera fatigas:
  Hinc merito claris adnumerare viris.

Carmen IX.
Sub imagine Isabellae Aragoniae.

Haec quae spectantum ora tenet suspensa rapitque
Sensus atque animam et prope spirat picta tabella,
Docta animata manu, speciem infelicis Elisae,
Fortunamque habitumque refert animosque viriles.
Aspice, ut in vultu maiestas regia avorum,

---

*) Natus est Novicomi d. 31. Ianuar a. 1514. Obiit d. 30. August. a. 1588. De eius vita brevibus exposuit Io. Ant. Vulpius iun., qui eiusdem poëmata suis carminibus adiunxit.

Et patris et patrui fratrisque reluceat. Isto
Vultu iura dabat populis, quum sceptra teneret
Coniugis et nati, Insubriae et tractaret habenas.
Haec etiam infensis superis adversa suorum
Fata tulit, morientis avi quum lumina claudi
Vidit et expulsum regno patruumque patremque,
Et fratrem ereptum, quum iam coepisset avitis
Sedibus et sceptro summa virtute potiri.
Quid memorem regno spoliatum fraude maritum
Sublatumque dolis, aut cari funera nati?
Quis valet haec siccis oculis audire? Sed illa
Non lacrimis ursit cineres, non questibus; altum
Sed tulit infracta et pressit virtute dolorem.
Cernis ut affectus vivos animata tabella
Exprimat in vultu? ut summo certamine pugnet
Cum virtute dolor? sexus cum ingentibus ausis
Atque animis? pulsi ut cedant sexusque dolorque?
Fortuna insignes aliquot fortasse vetustas
Iactabit regum matres et regibus ortas;
Sed quae agitata diu per tot discrimina rerum,
Per varios casus, rapidis iactata periclis,
Aequo animo infensae Fortunae exceperit ictus,
Nulla erit antiqua aut veniens quam conferat aetas
Fortunae, fatis, animo infelicis Elisae.